# HORAE PHYSICAE BEROLINENSES

COLLECTAE

EX

SYMBOLIS VIRORUM DOCTORUM

H. LINKII, C. ASM. RUDOLPHI ET W. FR. KLUGII, PROFESSORUM BEROLINENSIUM, C. G. NEESII AB ESENBECK, PROFESSORIS BONNENSIS, FR. OTTONIS, HORTI BOTANICI REGII BEROLINENSIS INSPECTORIS, ADALB. A CHAMISSO, PHILOSOPHIAE DOCTORIS, FR. HORNSCHUCHII, BOTANICES DEMONSTRATORIS GRYPHICI, D. A SCHLECHTENDAL, MEDICINAE DOCTORIS, ET C. G. EHRENBERGII, MEDICINAE DOCTORIS.

EDI CURAVIT

DR. CHRISTIANUS GODOF. NEES AB ESENBECK.

*Cum tabulis aeneis* XXVII.



BONNAE
SUMTIBUS ADOLPHI MARCUS.
1820.

VIRO ILLUSTRISSIMO

AC

DOMINO

LIBERO BARONI DE STEIN

AB

ALTENSTEIN,

Augustissimi et Potentissimi Borussorum Regis in rebus ad omnem eruditionem, Dei cultum et medicinam spectantibus Summo Ministro, Ordinis Aquilae rubrae Equiti Primario etc. etc.

S. P. D.

Dr. C. G. NEES ab ESENBECK.

*Cum inter otia dulcissima, quibus vere praeterito frui per aliquot menses summo* TUO *beneficio mihi licuit, memor symboli nostri academici, vel in mediis Musarum deliciis, strepituque urbis circumventus, et, quod quidem maximi apud me est, inter aspectus* TUI, *quem praesentem venerari indies magis animus incendebatur, summa sanctaque desideria, nunquam otiosus haberi cuperem, occasionem ubique patentem nactus, plantarum, tam in horto botanico summa industria cultarum, quam in herbariis variis asservatarum, agmina lustravi, examinavi, descripsi, nonnullas etiam pinxi.*

*Et primo quidem loco animus ferebatur ad ea, quae susceptis opusculis, tum Asterum herbaceorum Monographiae, quam novisti, tum Historiae Muscorum Germaniae indigenorum, una cum Hornschuchio, dilectissimo iuvene, edendae, usui esse viderentur. Neque irritas effudi preces; nam* TU *Herbarii Willdenowiani, Regiis pecuniis in publica commoda nunc coëmti, (quod ultra 22000 plantarum siccas species tenere dicitur,) liberum evolvendi dedisti arbitrium.*

*Hominis autem est, ut, cum rei cuiusdam, vel maxime a se desideratae, vix compos factus videatur, extemplo ulterius rapiatur, et opere isto, cui paullo ante summis viribus incumbebat, quam citissime poterat peracto, quae restent attingere, quin, si vires valeant, ad unum omnia exhaurire gestiat.*

*Iam neque Asteres sufficere industriae videbantur, neque Muscorum vitris augenda seges uberrima animum poterat satiare; sed supererat semper aliquid otii, quo frui et cuius fructus quoscunque selectos* TIBI, *grati devinctique animi pignora, offerre dies noctesque animo volvebam.*

*Verum autem, quo minus ad* TE *solus accederem, obstitit pia reverentia, qua splendida illa naturae scrutatorum cohors,* TE *duce in hac urbe militans,*

*advenae animum imbuerat, neque* Te *quoque dignum videbatur opus qualecunque, nisi quod, a quamplurimis* Tibi *oblatum* Tuis, *consonam quasi pii, grati et devoti animi debitamque vocem ederet.*

*Hospitio cum liberaliter essem ab omnibus exceptus, hospitalem etiam a cunctis postulavi tesseram; quin habui potius ab illis larga manu datam prius, quam preces meae eorum aures tetigissent. Iam enim pignus hoc, non apud me, sed ante pedes* Tuos *reponendum, commune omnibus videbatur negotium, communis religio.*

*Singuli quidem singula contulimus, sed unum est, quod supplices gratique* Tibi, Vir Illustrissime, *tradimus: Linkius, Botanices in hac urbe Professor, Horti botanici Director, Rudolphi, Anatomiae Professor, Museo anatomico Praefectus, Klugius, rebus medicinalibus adscriptus, qui Insectorum historiam sibi sumsit excolendam, Otto, horti botanici Custos Tutorque, et a Schlechtendal, studiorum summis auxiliis copiisque a* Te *adiutus, et de Chamisso, qui, ab itinere circumterraneo redux, per* Te *requiescens, litteris sedulo incumbit, et Hornschuchius, Gryphicus, Muscorum cultor, quem* Tu *litteris servasti, et Ehrenbergius, qui in fungis, serendo propagandis, multisque vel minimis intense contuendis, oculorum et ingenii vires ad profundiora et occultiora acuere studet, denique ego, qui,* Tua *humanitate et beneficentia hisce, multisque aliis celeberrimis viris, nunc arctiori quadam familiaritate coniunctus, sempiternae dulcissimaeque memoriae fructus in ista urbe, tanquam in hortis* Tuis, *decerpsi.*

*Quae mihi contigit videre in hac Regia scientiae naturalis sede! quae discere ex horum virorum ore! Aperuit Linkius* Tuus *herbarii una sui et ingenii acutissimi fontes; monstravit Rudolphi vasta Musei anatomici*

*atria, quae anatomiam singulae speciei animalium ex directoris consilio amplexura rapido ingressu ad summa fastigia nituntur. Obstupui, cum Weissius, amicissimus vir, Musei mineralogici gazophylacium mihi reclusit; nam hic fere culmen iam attigit colligendo et distribuendo; tum Musei zoologici, praesertim ornithologici, tantum non vivas species perlustrando, Lichtensteinium absentem praedicavi felicem, me ipsum autem deflevi, qui, temporis angustiis obstrictus, tantum abfuerim, qui horum auxilio augerer eruditione, ut potius, oculis aspiciendo fessis, vagam et inordinatam diversissimarum specierum, ad haec usque tempora occultarum, effigiem ex spatiosis his aedibus mecum asportarim.*

*Quid autem de aliis multis, iisque privatis, Museis corporumque naturalium collectionibus dicam? Quid de Museo Societatis nostrae Amicorum Naturae Scrutatorum, variis, praesertim indigenis, exquisitissimisque rebus locupletissimo? Quid de Klugii, dilectissimi Viri, amici suavissimi, Hymenopterorum (ut alia Insecta taceam) collectione, cui nulla est per orbem terrarum comparanda? Quid de collectione plantarum, a Domino Libero a Buch, Regio Cubiculario, in itinere inclyto per Insulas Canarias, b. Smidtio comite, collectarum et exsiccatarum? — ex qua quidem, multis rarissimis novisque insigni speciebus, quarum illustrationem ab ipso erudito peregrinatore expectamus,* *) *aliquot mihi describendas et delineandas humanissime concessit Vir praenobilissimus? Quid tandem de Ottonis, Regium hortum curantis, her-*

---

*) Quae nobis haec spondeant, probat Prodromus quidam, Volumini proximo Actorum Regiae Academiae Scientiarum Berolinensis insertus, qui inscribitur: Allgemeine Uebersicht der Flora auf den canarischen Inseln. Eine Abhandlung, vorgelesen in der königl. Preuss. Academie der Wissenschaften zu Berlin im Jahre 1817 von L. v. Buch.

*bario, plantis ex omnibus terrae plagis, non tantum cultis, sed permultis etiam spontaneis, abundante? Quid de Chamissonis, amici nostri, plantis aliisque rebus, ex utraque terrae et orbe et polo consertis notisque ingenioque acutissimis illustratis?*

*Taceo Hortum botanicum, Academiae Berolinensis decus, cuius opes maiores sunt, quam quas laude assequi possim; vix enim Enumerationi b. Willdenowii fidem habebis, cum, has illius opibus comparando, numerum plantarum ab istis temporibus, quibus Willdenowius scripsit, ad haec nostra, tam brevi spatio, plus duplo crevisse inveneris horto, celeberrimis aliis, v. c. Vindobonensi et Parisiensi, iam non modo aemulo, sed in quibusdam etiam superiori.*

*Quorum omnium copia mihi facta est, licuitque frui, quantum tempus et vires et alia officia sinebant; neque cuiquam introitus a* TUIS, *rite pulsanti, negatur.*

*Haec a me praemitti, amici indulsere; quae sequuntur, pleraque ab iisdem orta invenies,* TIBIQUE *igitur per se dedicata, paucissima tantum mea, — ad unum autem omnia haec, qualiacunque sint, magis* TUA, *quam nostra, sed* TE *Patrono et Fautore, summae clementiae et munificentiae documenta, a* REGE POTENTISSIMO AUGUSTISSIMOQUE *in populum pium profecta. Vale et fave!*

*Scribebam Berolini die XV. Maii anni MDCCCXIX.*

# HORAE BEROLINENSES.

— — nobis haec otia fecit.

VIRG.

# INDEX COMMENTATIONUM,

## quae in hoc opere continentur.

# EPISTOLA

AD

VIRUM CELEBERRIMUM

NEES AB ESENBECK

Medic. Doctorem, in inclyta Universitate litterarum Bonnensi Professorem
Academiae Leopoldino-Carolinae Praesidem

# DE ALGIS AQUATICIS
## IN GENERA DISPONENDIS

scripsit

HENR. FRID. LINK.

Cum Tabula aenea.

Laeto animo recordor, vir amicissime, eius temporis, quo Berolini commorabaris, nostrorum laborum gratissimus comes atque testis. Exoptatus enim nobis adfuisti, non solum eadem persequens studia, quae prae aliis nobis curae cordique fuerunt, sed quoque, quod nobis in te semper maxime placuit, singulari animi indole praeditus, et humi prostratus legere Naturae minutias, et in altum sublatus contemplare Naturae universitatem. Redeas saepe, vir carissime, uti fuisti, veris nuncius, horti nostri botanici dulcissimus incola, cuius Nymphae, verecundi flores, tibi occulta pandent, quae aliis caute occultant.

Multi tunc temporis inter nos sermones fuere de Algis aquaticis in familias generaque distribuendis, nec haesitavi examini tuo subiicere eam dispositionem, quam inchoaveram quidem, minime vero perfeceram. De speciebus minor erat dubitatio; usi sumus tum Turneri Dillwynique operibus praeclaris, quorum auxilio non ita difficile species distinguas, tum Mohrii, praematuro fato nobis erepti, nec non Mertensii nostri laboribus, qui tantum amicis non silet. Et principium distinctionis specierum nobis non ignotum erat, formarum scilicet constantia in generationum serie variabili; nam scientia in temporum vicissitudinibus id semper quaerit, quod constans firmumque sit. Maior erat dubitatio de generibus constituendis, in quibus opinionum varietas tanta est, ut plerique pro lubitu aut plura in unum combinent, aut idem in plura dividant. Nos quidem in Fungis disponendis id genere differre voluimus, quod structura differat, minime vero, quod figura tantum, huius enim differentia species dignoscuntur. Et quicquid dicant, ubi tanta structurae varietas existit, quanta in Fungis, multa genera constituere oportet, iis tantum levia et minoris momenti visa, qui hasce plantas non curant et earum differentias pro minutiis habent, quia totae plantae minutae sint. Sic quoque in Algis aquaticis disponendis, eas separavi plantas aut genere aut familia, quae structura differunt.

Familias Algarum Linnaeus optime distinxit, at genera vocavit et characteres veros ignoravit. Qui copiam generum respuunt, retineant nomina Linnaeana, nostraque genera nil esse, nisi generum subdivisiones, putent. Quam ob rem generi

nostro, cui nomen est Linnaeanum, aliud apposuimus nomen, ut idem sit, an generibus antiquis utaris, an novis. Velim, ita omnes fecisse, qui nova genera condiderunt, ubi genera Linnaeana erant familiae bene constitutae.

His praemissis, accedo ad Familiarum Generumque dispositionem.

I. CONFERVA. *Thallus membranaceus cartilagineusve, cylindraceus.*

1. *Bacillaria.* Corpus divisione longitudinali in plura partitum. Singulare hoc genus huius ordinis hospes quasi est, inter animalia et plantas intermedium occupans locum.

2. *Annulina.* Thallus septatus (ab utriculis matricalibus, uti Rothius dicit) septis obscuro colore tinctis. Fructificatio externa nulla.

Materia viridis aut colorata (interanea dixerim) versus septa accumulatur et centrifugo quasi motu secedit. Granula minuta non solum in his plantulis, sed quoque in multis aliis conspiciuntur, sicuti in Fungis, Lichenibus etc. Hinc ad generum distinctionem nil faciunt, et Polysperma Vaucheri malo distinguitur charactere. Omnes fere huius generis plantae viridi sunt imbutae colore. Huc referantur: Conferva rivularis, compacta, glomerata, sordida, albida, nigricans, rupestris etc.

3. *Conferva.* (*Hydranthema.*) Thallus septatus, septis pellucidis. Fructificatio externa nulla.

Interanea a septis motu centripeto quasi retrahuntur. Omnes fere huius generis plantae rubrae sunt. Huc referantur: Conferva atropurpurea, fucicola, ericetorum, aurea (Trentepohlia aurea), setacea etc.

Difficillime itaque a Fungis distinguuntur. Fructus, uti Persoonius optime vidit, in Fungis pars primaria est, in Algis vero thallus. Quodsi Fungorum thallus late extenditur, aut granulis conspersus, procul dubio propullulantibus, speciem Fungorum prae se fert, aut in fructum, structura multo magis perfecta praeditum, transiens, sese partem accessoriam esse, manifeste prodit. Quam ob rem Byssum auream Linn. plantulasque adfines ad Algas remisi, granulis istis inspersis explicatisque fructibus destitutas.

Subgenus Confervae est *Plumaria*, ramulis verticillatis distincta, elegantes complectens plantas, e. g. Confervam verticillatam, Myriophyllum, equisetifoliam etc.

4. *Lysigonium.* Thallus septatus, articulis dilabentibus. Fructificatio externa nulla.

Huius loci: Conferva moniliformis, lineata.

5. *Globulina.* Thallus septatus, saepe coniugans. Interanea in globulos stellulasque contracta. Fructificatio externa nulla.

In his motus interaneorum centripetus perfectus est. Singularis Confervarum coniugatio e Vaucherii libro praeclaro notissima est. Huius loci Coniugatarum Vaucherii ordo secundus.

6. *Coniugata.* Thallus septatus, coniugans. Interanea effusa. Fructificatio externa nulla.

Huius loci Coniugatarum Vaucherii ordo tertius.

7. *Spirogyra.* Thallus septatus, coniugans. Interanea in spiras torta. Fructificatio externa nulla.

H. l. Coniugatarum Vaucherii ordo primus.

8. *Oscillatoria.* Thallus annulatus, nec septatus. Fructificatio externa nulla.

Genus a Vaucherio constitutum, qui animalem hisce plantis naturam tribuit, quae vero non magis animalia sunt, ac Hedysarum gyrans.

9. *Hydrolinum.* Thallus non septatus. Fructificatio externa nulla.

Dubiae plantae, sicuti Himantiae inter Fungos, de quibus non constat, an perfectae sint, an aliarum primordia. H. l. Conferva rutilans, Hermanni, cet.

Ulva foetida secundum characterem generalem huius loci est, at interanea, in globulos ovales collecta, fortasse separationem suadent.

10. *Ectosperma.* Thallus non septatus. Sporangia adnata, intus grumosa.

Est genus a Vaucherio bene constitutum. Alias dein species admiscuerunt, quae nil nisi primordia Muscorum sunt. Non solum Musci, sed quoque Filices, teste Acrosticho alcicorni, subinde foliis primordialibus praediti reperiuntur, a reliquis maxime diversis. Quae pro sporangiis habuere Botanici, nil sunt, nisi apices foliorum non evoluti. E Confervis Muscos pronasci, repetitis licet observationibus, non vidi, sed Gramina ex iisdem diu asservatis progerminare vidi.

11. *Oedogonium.* Thallus septatus, articulis hinc inde in Sporangia tumescentibus.

H. l. Proliferae pleraeque Vaucherii. Cfr. Leon le Clerc Mem. du Museum P. 3 p. 462.

12. *Hydrodictyon.* Thallus e tubulis teneris in rete contextis. Fructificatio externa nulla.

Genus a Rothio constitutum. Conferva reticulata Linn.

13. *Enteromorpha.* Thallus tubulosus, cavus. Fructificatio externa nulla.

Ulva intestinalis Linn. Conferva rugosa, byssoides, subulata, crinita, compressa, echinata, utricularis etc.

14. *Batrachospermum.* Thallus moniliformis, gelatina indutus. Fructificatio externa nulla.

Est Batrachospermum Vaucherii, excluso Batrachospermo glomerato, quod ad sequens genus pertinet.

15. *Charospermum.* Thallus moniliformis, gelatina indutus. Sporangia adnata.

H. l. Batrachospermum glomeratum seu Conferva gelatinosa Linn.

16. *Rivularia.* Thallus gelatina sphaeriformi inclusus.

Est genus a Rothio constitutum, et denuo recognoscendum. Ad Nostochium transit.

17. *Agarum.* Thallus articulatus. Fructificatio externa nulla.

Huius loci Conferva corallina, prolifera, reptans etc.

18. *Ceramium.* Thallus septatus. Sporangia adnata, intus grumosa.

Genus magnum, speciebus ditissimum. Aliae, Fucis proximae, cartilagineae sunt, aliae ab Ectospermis membranaceis non nisi septis differunt. Mare amant, cum Ectospermae aquam dulcem praeferant.

19. *Mertensia.* Thallus septatus. Sporangia adnata, sporas distinctas continentia.

Genus a Rothio constitutum, mihi ignotum.

II. Tremellaria (Tremella Linn.) *Thallus gelatinam continens.*

1. *Nostochium.* Thallus globosus subglobosus informis. Sporidia fusiformia intra gelatinam.

Linkia Rothii. At Linkius Lipsiensis, de Stellis marinis meritissimus, de re herbaria nulla reliquit scripta, quam ob rem Linkiae nomen minus aptum mihi videtur. Velim quoque conservare nomen Linkiae, generis plantarum peruviani, quod Persoonius, amicus quondam coniunctissimus, mihi dedicavit, cum ipse, Smithium secutus, nomen Linkiae, generis plantarum Australasiae, quod Cavanilles imposuerat, ademisset et eius loco proprium Persooniae imposuisset.

2. *Gonycladon.* Thallus cylindraceus. Sporidia fusiformia intra gelatinam.

Huius loci Conferva fluviatilis, nodulosa, torulosa, deusta etc.

3. *Granularia.* Thallus globosus. Sporidia globosa intra gelatinam.

Genus a Rothio constitutum, mihi ignotum. An primordia vegetationis alienae?

III. Ulva. *Thallus membranaceus, expansus.*

1. *Phylloma.* Thallus integer. Fructificatio externa nulla.

Huius loci Ulvae pleraeque Linn. Materia colorans in areolas minutas distributa est.

2. *Trepposa.* Thallus membranaceus, pertusus. Fructificatio externa nulla.

Huius loci Ulva indica Linn. Genus denuo recognoscendum.

3. *Zonaria.* Thallus membranaceus, zonatus. Sporangia adnata, subglobosa, sporulas manifestas continentia.




*Zonaria pavonia Link.*

*Dr. Ehrenberg pinxit.*

C. Müller fc.

Cum Ulvam pavoniam Linn. accuratius perspicerem, incidi in specimina herbarii mei, fructificationibus onusta, sporangiis scilicet globosis, quae sub microscopio composito pressa, sporulas manifestas emisere. Zonae, in plantula conspicuae, nil sunt nisi loca, ubi sporangia gregatim erumpunt. Thallus plane membranaceus materia colorante, cito evanescente, perfusus est. Tradidi specimina fructum gerentia Ehrenbergio nostro, qui eleganter et accurate, ut solet, pinxit; viro, caeterum acutissimo, quem simul observationes meas confirmantem habere gaudeo. En icones ab ipso pictas:

T. I. Fig. A est frustulum Zonariae pavoniae cum zonis, tam sterilibus, quam media frugifera, magnitudine naturali. Fig. a est particula sicca Zonae frugiferae, lente aucta. Fig. b eiusdem Zonae particula madefacta lente aucta, in qua sporangia magis intumuerunt. Fig. c sunt sporangia diametro centies aucta, quae ad* sporulas subglobosas emisere, peridio persistente. Ex his satis superque patet, Zonarias esse plantulas, et nil cum Zoophytis commune habere, nisi quod aliae Algae aquaticae.

Zonariam Squamariam ob similem structuram huc refero, quamquam fructificationes nondum repererim.

IV. Fucus. *Thallus intus tubulis contortis et compactis gelatinam exhibentibus refertus.*

Materia colorans in areolas disposita est. Hae vero areolae sunt apices tubulorum contortorum, materia ista repleti.

1. *Codium.* Thallus pilis gelatinosis tectus. Sporangia adnata, intus grumosa?

Huius loci Fucus tomentosus Linn.

2. *Chordaria.* Thallus nudus, cylindraceus. Fructificatio externa nulla.

H. l. Fucus Filum Linn.

3. *Palmaria.* Thallus explanatus. Fructificatio externa nulla.

Mihi quidem in hisce fructificationem videre nondum licuit, et suspecta mihi videtur, quam Turnerus exhibet. H. l. F. saccharinus, digitatus, Phyllitis etc.

4. *Sphaerococcus.* Sporangia adnata vel innata, sporas globosas sparsas continentia. Thallus septis nullis.

Sporangia plerumque pellucida, ita ut sporas contentas, ruberrimo colore tinctas, lente auctas conspicere possis. Turnerus in multis speciebus, e. g. F. Brodiaei, Palmetta aliisque, characterem bene icone exposuit. Huius loci sunt permultae Fucorum Linn. species, ita ut opus sit, nimiam earum copiam in varias subdivisiones digerere. Sunt itaque Sphaerococci:

A. *Gigartoidei.* Thallus ramis teretiusculis. Sporangia globosa, pedicello brevi suffulta. Huc referantur Fucus gigartoideus, Teedii, aculeatus aliique.

B. *Cartilaginei.* Thallus ramis teretiusculis. Sporangia apicibus ramulorum innata. Huius loci F. cartilagineus, corneus aliique.

C. *Fruticulosi.* Thallus ramis teretiusculis. Sporangia innata. H. l. F. fastigiatus, rotundus, confervoides etc.

D. *Membranacei.* Thallus ramis teretiusculis. Sporangia innata. H. l. Fucus rubens, alatus, laciniatus, laceratus, crispus etc.

5. *Chondrus.* Sporangia adnata vel innata, sporas globosas sparsas continentia. Thallus ramis extimis septatis.

Intermedium genus inter Fucos et Ceramia. H. l. Fucus flabelliformis.

6. *Fucus* seu *Sargassus.* Sporangia in apicibus ramorum tumidis sporulas conglobatas continentia.

Sporae in praecedenti genere magnae, per lentem vitream conspicuae, in hoc minimae, in acervulos conglobatae, intra apices ramorum tumidos latentes. Cave, ne apices tubulorum contortorum, materia colorante refertos, pro thecis habeas sporigeris, quod mihi olim accidit. In omnibus enim Fucis tubuli isti, ad superficiem pervecti, materia colorante repleti sunt, sporis veris simul praesentibus. Acervi sporulorum ovales sunt, rubescentes, e sporulis minutis subglobosis congesti. Turnerus huius generis characterem rarius icone bene exposuit, aut totum sporangium, aut sporarum acervum, pro seminibus habuit. Non male tamen in F. dasycarpo, toruloso, siliquoso. Hoc quoque genus in duas subdivisiones commode dividi potest.

A. *Vesicati.* Fructificationes effoetae in vesicas aëre repletas transeunt. Vesicae saepe tubulos contortos exsiccatos continent, quos olim stamina putavere. Apex ramorum tumidus, eiectis procul dubio per poros epidermidis, non raro sat conspicuos, sporis, magis adhuc intumescunt, cavi fiunt, saepeque procrescunt, ita ut vesica magis retrocedat et rami subinde e vesicis concatenatis compositi videantur. H. l. F. natans, vesiculosus, nodosus, mucronatus, tamariscifolius etc.

B. *Tumidi.* Apices ramorum tumidi in vesicas non transeunt. Huius loci permultae species, e. g. F. siliquosus, serratus, canaliculatus, lumbricalis, pinastroides, coccineus etc.

C. *Contracti.* Apices ramorum tumidi quidem, ubi fructigeri, simul vero extrema rami expansio contracta conspicitur in ipsa fructificatione. H. l. F. abrotanifolius, Osmunda, obtusus, distentus aliique.

Haec sunt, quae Tibi proponere volui, vir amicissime. Non dubito, multas superesse species, quae nec genus, nec subgenus invenerunt, quae vero ob fructificationem structuramve mihi ignotam distribuere non ausus sum. Exemplo sint: Fucus spermophorus, asparagoides, articulatus (ob fructificationem), esculentus (ob fructificationem), Chemnitzia, fruticulosus, Peniculus, cactoides, sedoides, spinosus aliique.

Vale mihique favere perge!

Scribebam Berolini die 1. Maii A. MDCCCXIX.

VIRO PERILLUSTRI

# NEES AB ESENBECK

Medic. Doctori, in inclyta Universitate litterarum Bonnensi Professori
Academiae Leopoldino-Carolinae Praesidi

scripsit

# CAROLUS ASMUND RUDOLPHI.

Cum Tabula aenea.

Observationes in Balaenam rostratam *Fabricii*, sive quod ill. *Cuviero* recte sentiente idem videtur, B. Boopem *Linn.* nuper dissectam, Tecum communicare quidem constitueram, sed cetaceorum examen altioris indaginis rem esse animadverti, ideoque libro Tuo sub prelo sudanti quod nunc temporis addam non habeo, nisi pauculas adnotationes helminthologicas, quas pro Tua in me amicitia benigne recipias, iterum iterumque rogo.

### 1. *De Strongylo armato, copula iuncto.*

Nonnullorum quidem Nematoideorum, *Strongyli* scilicet *armati* et *retortaeformis*, nec non *Physalopterae dilatatae*, quae coitus vinculis morte non soluta reperta sunt, quaeque in Museo Imperiali Viennensi servantur, in *Synopsi* nuper edita p. 585 et 645 mentionem inieci; anni tamen tempus, quo singula coitum exerceant, de nulla hactenus specie innotuit. Quam autem ignorantiam eo aegrius tuli, quo magis illam facile tolli posse persuasus fuerim. Multa enim entozoorum, quorum individua altero tantum utuntur sexu, specimina feminea saepe quidem, aut fere semper, rarissime autem coitus nuper peracti notam gerentia, — mascula vero generatim rarius, rarissime copiosa proferunt, quid? quod *Oxyuridis curvulae*, vermis equini frequentis, mas nulli visus est. Quibus coitum illis non per totum annum, sed stato tantum tempore, concedi, facile colligitur.

Varios itaque, qui toto anno in easdem et prae reliquis in vermium equinorum species sedulo inquirant, incitavi, neque spes fefellit. Cl. enim *Halbach*, scholae Veterinariae Berolinensis Repetitor, qui historiam naturalem magno prosequitur amore, multis sectionibus praegressis, tandem Iunii h. a. die tertia in Equi malleo humido fracti et hanc ob causam necati coeco Strongylos armatos quam plurimos reperit, quorum duodecim paria copula iuncta fuerunt et talia mortua in spiritu vini relicta sunt; femineorum vero specimina reliqua fere ad unum omnia coitus nuper transacti vestigia, fossam nimirum rufam circa foramen genitale, a bursa maris impressam, exhibuerunt; mascula pauca libera, radiis, sive vasis, bursae turgidis et coloratis, pene non emisso, quodque a coitus vinculis

liberavi specimen masculum, illum pariter non exhibuit, utrum abruptum et relictum, num retractum?

Utinam alii quoque Helminthologi easdem Nematoideorum et Acanthocephalorum species saepius examinare non recusent, quo citius hanc rem conficiamus.

Tabulae adiectae (II.) Figura prima *Strongylum armatum* copula iunctum sistit, magn. nat. — A. feminae inversae a. caput, c. apicem caudae, b. b. dorsum. B. Maris a. caput, d. bursam vulvam amplectentem. In Figura secunda C. magn. aucta e. e. pars est corporis feminei, d. cauda maris, cuius bursae latus sinistrum in conspectum venit; circa illam impressionem locus corporis feminei fuscus. Figura tertia D. feminam sistit minorem, magnitudine naturali. a. caput, b. impressio fusca, coitus nuper peracti vestigium, c. apex caudae.

## 2. *Pentastoma emarginatum R.*

Speciem a cel. quondam viro, *Legallois*, in *Caviae Cobayae* pulmonibus repertam, a cel. *Bosc* Tetraguli nomine obiter descriptam et delineatam, mihi Synopsin edenti nondum visam, uberius illustrare non potui, sed p. 124 et 435 dubie retuli.

Multis Caviae speciminibus tam a *Bremsero*, quam a me circa vermes frustra examinatis, tandem Maii h. a. die quinta Cobayam seniculam, valde pinguem secando, vermium horum specimina circiter septuaginta reperi, quorum maxima pars peritoneo, hepar, intestina, uterum etc. induenti, minor pleurae et pericardio adhaesit, minima vero ipsis in pulmonibus collapsis oblata est.

Viva et recentia omnia pellucida fuerunt, antice tamen vel solummodo versus apicem, vel etiam latera versus, lactea sive opaca. Sesquilineam ad duas lineas, rarius duas cum dimidia longitudine adaequant, latitudine partis anterioris tertiam lineae superantia, postice angustissima.

Corpus integrum, obovato oblongum, depressum, dorso convexiusculo, abdomine mox plano, mox tantillum concavo; denticulorum rectorum, retrorsum spectantium, brevium et densorum seriebus 92 ad 96 transversis munitum. Caput haud discretum, antice truncatum vel subemarginatum, sub motu, neque tamen distincte, labiatum visum. Os inferum ovale, parum mutabile, an verum oesephagi principium? Ad illius latera utrinque unci bini recurvi, retractiles, vaginis oblongis utentes, longioribus quando absconduntur, abbreviatis quando exseruntur. Cauda, sive corporis apex posticus, obtusiusculus, emarginatus, sinu minimo.

Canalis rectus, tenuis, pellucidus, medium corpus percurrit, an intestinum? Vas flavescens illi passim succumbere videtur. Ova per maximam corporis partem, praesertim mediam, sed etiam anteriorem dispersa, parva, rotunda.

*Obs.* 1. Num animalcula tantopere pellucida iuniora sunt? Ova undique dispersa valde singularia videntur. Aculeorum rectorum retrorsum spectantium et

TAB. II.




*Strongylus armatus.*

Dr. Ehrenberg del. — C. Müller sc.

seriatim dispositorum ope fulcris et pedibus quasi munita, Pentastomata ista facile inter omnes abdominis et thoracis viscera tuto procedere et firmari possunt, neque intestinorum Cobayae motus peristalticus illis impedimento erit.

*Obs.* 2. Num *Pentastoma denticulatum*, in abdomine *Caprae*, — et *P. serratum* in *Leporis* pulmonibus obvia, species diversas sistant, certe diiudicare non possum, cum *P. serratum* nunquam, *P. denticulatum* tantum mortuum viderim; non differre tamen crediderim.

### 3. *Filaria nodulosa R.*

Synops. p. 8. n. 32. Filaria Collurionis subcutanea. Nunc pone Synops. n. 14. inserenda.

*Hab.* Sub *Lanii Collurionis* cute cranii Rammelsberg, dexterrimus Musei nostri zoologici Amanuensis, reperit et mecum communicavit.

Specimina quatuor mascula pollicem superantia, quintum femineum, haud integrum, duos pollices tribus lineis excedens; alba, mascula magis elastica, tenuiora.

Caput obtusum, apice caudali crassius, nodulis exiguis subrotundis anticis, forsan utrinque quaternis; quatuor saltem altero in latere vidi. Corpus aequale. Cauda mascula attenuata, obtusa, brevi ante cuius apicem spicula duo tenuia, longissima exseruntur. Vas seminiferum oblique ad spicula fertur. Feminae corpus disruptum masculo duplo crassius, hinc obtusum; oviductibus tenuiter striatis, ova gerentibus ovalia exigua, forsan immatura, quorum unum tamen foetum continere visum.

*Obs.* *Hamularia* olim dicta, sive *Filaria Collurionis pulmonalis*, Synops. p. 8. n. 33., omnino eadem videtur. Alterius scilicet nostrorum speciminis spicula, magnam partem retracta, facile hamulos illos auctorum produnt.

### 4. *Ascaris mucronata Schrank.*

Entoz. Vol. II. P. I. p. 186. n. 48. Synops. p. 52. n. 67.

Magnam horum vermium copiam Rammelsberg in ventriculo *Gadi Lotae* reperit.

Specimina mascula pollicem plus minus longa, feminea fere duos pollices attingunt.

Caput discretum, rotundatum, valvulis obtusis, late marginatis. Corpus sensim posteriora versus increscens. Cauda maris incurva, feminae rectiuscula, longior, utraque mucrone brevi acuto terminata. Spicula rarius, et qua partem tantum brevem, exserta vidi, inter caudae membranas internas tenues passim tuberculis exiguis, quae Zederus refert, notatas. Anus utrique sexui brevi ante mucronem. Ova subrotunda, maiuscula, nucleo magno obscuro, margine pellucido tenui.

*Obs.* Specimina quaedam feminea minora et tenuiora, (pollicaria tamen), cauda magis subulata instructa sunt, forsan virginea, nam caudae mucrone valvulisque latiusculis utuntur, quo minus pro *Asc. tenuissima Synops.* n. 66. imponere possint.

### 5. *Echinorhynchus tuberosus* Zed.

Synops. p. 65. n. 8. Entoz. Vol. II. P. I. p. 257. n. 5.

Specimina octo in intestinis *Cyprini rutili* ab Amanuensi meo reperta, h. a. Maii d. 28. viva examinavi, unam ad quatuor lineas longa.

Proboscis et series uncinorum unica cum collo et corpore ab ill. O. Fr. Müller, Daniae decore, bene delineata sunt, qui etiam (Zool. Dan. Vol. II. Tab. 61. fig. 3.) poros corporis quoad formam recte refert; plura tamen vidi, quae his addere liceat.

Pori, quales Müllerus sistit, disci potius sunt, quibus magna foraminum inest copia, passim maximi, valdeque exstantes, huic speciei proprii, neque alibi mihi visi. Praeterea autem toto in corpore foramina sparsa, vel etiam seriatim disposita, exhibentur, cum poris comparanda, quos in variis Echinorhynchis, praesertim autem *Ech. compresso*, observavi et in Entozoologia descripsi.

Corpus saepe lineis transversis distantibus singulari modo incisum; idem licet, pellucidum, discos illos magnos, Müllero poros dictos, et foramina, de quibus egi, parva bene dignoscenda offerat, vasa tamen cutis nulla sistit.

Motus proboscidis egerendae et occultandae celerrimus paucis speciebus tali modo conceditur.

Vesica caudae masculae exiguo in specimine comparuit.

In alterius speciminis valde pellucidi corpore cotyledones (sive ovaria) ovales, magnae, eadem serie media dispositae sub oculos cadunt, praeterea autem in corpore speciminis maximi ovula libera, eademque agitata, vidisse mihi visus sum.

Dabam Berolini die Iulii V. 1819.

# PROSCOPIA

NOVUM

INSECTORUM ORTHOPTERORUM GENUS

A

COMITE AB HOFFMANNSEGG

CONSTITUTUM

exposuit

FRIDERICUS KLUG Med. Dr.

Cum Tabulis II. aeneis.

Insectorum omnium ordinum eximiae magnitudinis, colorum splendidissimorum, formaeque quam maxime singularis copiam Brasilia alit. Horum non descriptorum memoratuque dignissimorum non exiguum numerum habent musea tam *Comitis ab Hoffmannsegg*, quam *Regium Berolinense.* Excellunt in *Orthopterorum* Classe Aptera nonnulla, Phasmatibus non absimilia, proprii tamen generis, pedum et capitis forma orisque structura *Truxalidi*, Fabriciano generi, proximi. Genus hoc inter *Acrydios* Latr. novum, in museo Hoffmannseggiano iam nomine insignitum, PROSCOPIA audit, notisque facillime distinguitur sequentibus:

Pedes postici saltatorii.

Tarsi omnes triarticulati.

Frons in rostrum producta.

Antennae capite breviores, filiformes.

Corpus cylindricum, apterum.

Collare longissimum.

Notis tribus prioribus *Proscopiae* cum *Truxalidibus* omnino conveniunt, reliquis vero, elytrorum nempe alarumque defectu, antennarum forma et collaris ratione ab illis longe discedunt, *Phasmata Truxalidibus* nectentes. Generis accuratiorem descriptionem his iungere liceat.

Corpus cylindricum, duos ad septem usque pollices longum. Caput margine postico late sinuato saepius praelongum, in rostrum conicum aut angulato-plicatum adscendens. Oculi prominentes, hemisphaerici, ad rostri basin utrinque haud longe a capitis cacumine siti. Ocelli nulli. Antennae breves, filiformes, septem-articulatae, ultimo articulo longiori acuminato. Labrum membranaceum, magnum, fornicatum, apice emarginatum. Mandibulae corneae, crassae, apice truncatae, obtuse quadridentatae, ante apicem tuberculatae, crenatae. Maxillae breves, corneae, bifidae vel potius bidentatae, dentibus acutis, interno simplici, externo dente altero minuto ante apicem instructo, galea maxillis maiori membranacea triangulari obtusa. Labium magnum, membranaceum, emarginatum. Palpi quatuor membranacei, articulis cylindricis; maxillares longiores, quinque-

articulati, labiales tri-articulati, articulo tertio longiori. Collare abdomine angustius, capite duplo longius, cylindricum. Thorax brevis, cylindricus, sulco transverso in duas partes divisus. Metathorax brevis. Abdomen corporis dimidii longitudine, cylindricum, segmentis octo; baseos maioribus, ultimo brevissimo. Ani tegmen planum, elongatum. Oviductus nullus, genitalia tamen ultra tegmen, — dentes quatuor cornei, breves, validi, apice subincurvi acuti, basi invicem iuncti, — exserta. Pedes femoribus tibiisque subaeque longis, in nonnullis aequalibus, tarsis triarticulatis, articulo intermedio breviori, ungulis acutis, subdentatis, pulvillis magnis, membranaceis, dilatatis; anteriores aequales aut subaequales, collaris longitudine aut paullo longiores, antici collari medio mediique inter thoracem anticum inserti, abdomine longiores, femoribus basi crassioribus, tibiis subincurvatis, supra carinatis, bifariam serratis et spinosis, thoracis postico infixi. Elytra nulla. Alae nullae. Maris antennae sexarticulatae.

Abdomen apice integrum, supra truncatum. Genitalia vix prominentia.

Species mihi hucusque sequentes innotuerunt, omnes *Brasiliae* incolae:

### 1. *Proscopia gigantea* n. sp.

Tab. III. Fig. 1.

Pr. collari utrinque elevato-punctato, rostro elongato tetragono obtuso, antennis rostro brevioribus. Femina long. poll. 6 ½.

Proscopia gigantea Hoffmannsegg (mus.)

Hab. *Parà* Brasiliae; misit Sieber. *Mus. Comit. ab Hoffmannsegg.*

Omnium fere maxima et reliquis crassior. Color testaceus. Caput glabrum, dorsi lateribus subfuscum, apicem versus sensim angustatum, a margine postico ad apicem usque lin. 9 ½ ad 10 ½, a mandibularum basi ad oculos 7, ab oculorum margine superiori ad apicem (rostrum) 3 ½ ad 4 lin. longum. Rostrum tetragonum, vix angustatum, rectum aut sub-deflexum, supra subrugosum, subtus per totam longitudinem sulcatum, apice obtusum. Orbitae albidae. Oculi hemisphaerici, fusci. Antennae vix rostro breviores, fuscae. Collare pollicem unum et 7 lineas longum, dorso punctis lineolisque transversis minutissimis scabrum, lateribus punctis elevatis decem ad duodecim in seriem positis ornatum; subtus laeve, medio ad insertionem pedum anticorum foveolis tribus sublinearibus in triangulum positis insigne. Thorax pollicem dimidium longus, dorso lineolis elevatis scaber, antice posticeque marginatus, margine postico medio in scutellum elevato. Segmentum anticum postico sublongius, utrinque in cristam crenatam oblique ad pedum insertionem descendentem dilatatum; posticum utrinque crista minori instructum. Metathorax lineam vix superans, dorso transversim striolatus. Pectus planum, foveolis sex per paria iunctis distinctum. Abdomen glabrum per totam longitudinem linea elevatiuscula divisum, una cum genitalibus





Fig. 1. Proscopia gigantea. Fig. 2. Pr. scabra. Fig. 3. Pr. punctata. Fig. 4. Pr. radula.
Fig. 5. Pr. hispida.

Dr. Ehrenberg pinx. C. Müller sc.

tres pollices et lineas 6 ad 7, genitalibus exceptis tres pollices et 4 ad 5 lineas longum; segmentis tribus prioribus maioribus, simul sumtis pollicem et 7 lineas longis seu partem dimidiam totius occupantibus; genitalia 2 lineas longa, dentibus luteis, binis superioribus utrinque fusco marginatis, apice acuminatis incurvis, inferioribus recurvatis. Femora anteriora 10 lineas, postica, quae punctis in series positis scabra, duos pollices longa. Tibiae anteriores 11 lineas, posticae 2 pollices 7 lin. longae, spinarum nigrarum duplici serie superne armatae, subincurvae. Tarsi anteriores 2 1/2 lin. longi, postici vix longiores.

Variat rostro apice rufescente, antennarumque articulis prioribus rufo-testaceis.

2. *Proscopia scabra* n. sp.
Tab. III. Fig. 2.

Pr. collari punctis elevatis scabro, rostro tetragono obtuso, antennis rostro longioribus. Femina long. 4 poll. 10 lin. ad 5 poll. 10 lin.

Proscopia scabra *Hoffmannsegg.* (Mus).

Hab. *Parà Brasil.* Misit Sieber. *Mus. Com. ab Hoffmannsegg.*

Praecedentibus angustior. Tota obscure testacea. Caput ad apicem sensim angustatum, glabrum, a margine postico ad apicem 7 1/2 ad 9 lin. longum. Rostrum 2 ad 2 1/2 lin. longum, tetragonum, apice obtusum. Oculi prominentes. Antennae rostro vix longiores, fuscae. Collare pollicem et 2 lin. ad pollicem et 9 lin. longum, ubique punctis elevatis subtus rarioribus scabrum, margine antico in cristam elevato, postico vix incrassato. Subtus foveolae tres, ut in speciebus praecedentibus, ad pedum insertionem. Thorax supra lineolis, subtus punctulis elevatis scaber, 3 ad 5 lin. longus, postice emarginatus. Metathorax 1 ad 1 1/2 lin. longus, subtilissime transversim striatus. Foveolae pectorales sex per paria iunctae. Abdomen pollices 2 et 9 lin. ad tres usque poll. et 4 lineas longum, glabrum, linea longitudinali vix elevata; genitalia testacea, dentibus apice fuscis. Femora anteriora 7 ad 8 lineas, postica, eaque punctulis elevatis scabra, pollicem et 9 1/2 lin. ad pollicem et 10 lin. longa. Tibiae anteriores lin. 8 ad 8 1/2, posticae, parum incurvatae spinisque acutis nigris duplici serie armatae, pollicem et 8 lin. ad poll. et 10 lin. longae. Tarsi anteriores 2 lin. longi, postici vix longiores.

3. *Proscopia punctata* n. sp.
Tab. III. Fig. 3.

Pr. collare punctato, rostro elongato tetragono obtuso, antennis rostro brevioribus. Femina long. poll. 3 et 3 lin. ad 3 poll. 10 lin.

Hab. *Parà Brasiliae;* misit Sieber. *Mus. Comit. ab Hoffmannsegg.*

Statura praecedentis; tota obscure testacea. Caput valde elongatum, sensim attenuatum, a margine postico ad rostri apicem 8 lin. longum. Rostrum 3

ad 7 lin. longum, vix rugosum, apice non attenuatum, subtus subsulcatum. Oculi prominentes. Antennae testaceae aut obscuriores. Collare 8 ad 9 lin. longum, antice posticeque marginatum, supra punctatum, punctis numerosissimis impressis dorso confluentibus; subtus vix punctatum, linea per totam longitudinem impressa. Thorax punctis impressis confluentibus inaequalis, a metathorace vix distinctus, postice nec in scutellum elevatus nec marginatus, profunde potius et late sinuatus. Inde segmentum anticum maximum, 2 lin. longum, posticum vix ullum. Metathorax contra 2 1/2 lin. longus. Foveolae pectorales minus distinctae, anticae posticaeque invicem confluentes, mediae nullae. Abdomen pollicem unum et 8 lineas ad duos usque pollices longum, glabrum, dorso vix lineatum, genitalibus apice vix fuscis. Femora anteriora 5 ad 5 1/2 lin., postica, quae punctis scabra, pollicem et lineam longa. Tibiae, ratione longitudinis femoribus aequales, posticarum spinis apice nigris. Tarsi 1 1/2 lin. longi.

### 4. *Proscopia radula* n. sp.

Tab. III. Fig. 4.

Pr. collare punctis elevatis scabro, capite abdomineque sparsim punctatis, rostro tetragono, apice crassiori truncato, antennis vix longitudine rostri. Femina long. poll. 3 et lin. 10.

Hab. *Rio Ianeiro Brasiliae*; misit Dr. ab Olfers. *Mus. Reg. Berol.*

Corpus cylindricum, testaceum. Caput 7 lin. longum, sensim angustatum; supra sparsim punctatum lineaque longitudinali vix elevata divisum; subtus laeve. Rostrum 2 1/2 lin. longum, tetragonum, apice incrassatum, obtusum. Oculi prominentes. Antennae fuscae, scapo testaceo. Collare cylindricum, 10 lin. longum, antice in cristam elevatum, postice marginatum, totum punctis elevatis, supra maioribus et confertissimis, scabrum; subtus linea longitudinali exaratum. Foveolae prope pedum insertionem exiguae. Thorax vix divisus, postice late et profunde sinuatus, 2 lin. longus, dorso punctis elevatis scaber, subtus planus, vix punctatus. Metathorax thorace haud brevior, supra punctatus, subtus laevis. Foveolae pectorales vix ullae. Abdomen pollices 2 et lineam longum, supra subtusque sparsim punctatum, lineaque longitudinali dorsali elevata divisum. Femora anteriora 6 1/2 lin, postica, eaque punctata et dorso distinctius lineata, pollicem et 4 lineas longa. Tibiae anteriores lineas 7, posticae, supra nigro spinosae, pollicem et 5 lineas longae. Tarsi 1 1/2 lin. longi.

### 5. *Proscopia hispida* n. sp.

Tab. III. Fig. 5.

Pr. collari punctis lineolisque scabro, capite abdomineque punctatis, rostro tetragono plicato obtuso, antennis rostro brevioribus. Femina long. poll. 3 1/2.

Hab. *Bahia Brasiliae*; misit Sello. *Mus. Reg. Berol.*

Simillima praecedenti, tota obscure testacea. Caput $6\frac{1}{2}$ lin. longum, punctis elevatis scabrum, subtus laeve, per longitudinem lineatum. Rostrum elongatum, $2\frac{1}{2}$ lin. longum, apice non incrassatum, tetragonum, lateribus membranaceum, productum. Oculi magni. Antennae vix rostro breviores, fuscae. Collare antice posticeque marginatum, punctis numerosissimis elevatis scabrum, subtus rarius punctatum, linea longitudinali exaratum. Foveolae ad pedum basin minimae. Thorax $1\frac{1}{2}$ lin. longus, sulco non separatus, postice profunde sinuatus, punctis scaber. Metathorax 2 lin. longus, supra punctatus. Pectus planum, laeve, foveolis quatuor distinctis per paria iunctis. Abdomen duos pollices longum, vix punctatum, linea dorsali elevata divisum. Femora antica lineas 6, intermedia $10\frac{1}{2}$, postica, quae dorso lineata vix tamen punctata, pollicem et $2\frac{1}{2}$ lin. longa. Tibiae anteriores pollicem dimidium longae, posticae, incurvatae, lateribus distinctius sulcatae, supra fusco-spinosae, passim fusco-fasciatae, pollicem et 2 lineas longae.

Differt haec a praecedente corpore graciliore, capite ante oculos angustiore, rostro non incrassato, collari angustiore, punctisque in dorso minoribus minusque elevatis.

### 6. *Proscopia brevicornis* n. sp.

Tab. IV. Fig. 6.

Pr. collari cubtilissime et sparsim punctato, capite laevi, rostro tetragono obtuso, antennis rostro brevioribus. Femina long. 2 poll. et 8 lin.

Hab. *Bahià Brasiliae;* misit Sello. *Mus. Reg. Berol.*

Praecedenti proxima, tota testacea. Caput versus apicem angustatum, a margine postico ad apicem pollicem dimidium longum, laeve, rostro elongato tenui, apice vix dilatato obtuso 2 lineas longo. Oculi prominuli. Antennae longitudine dimidii rostri, articulis indistinctis. Collare 8 lin. longum, planum, vix punctatum, haud distincte marginatum, subtus laeve, linea longitudinali divisum. Thorax postice sinuatus, vix punctatus, lineam longus. Metathorax linea elevata longitudinali divisus, parum punctatus. Pectus planum, laeve, foveolis distinctis. Abdomen pollicem et $4\frac{1}{2}$ lin. longum, laeve, basi vix punctatum, linea longitudinali media elevata divisum. Femora antica 4 lineas longa, intermedia vix breviora, postica laevia, longitudinaliter lineata, 11 lin. longa. Tibiae anteriores 4 lineas longae, posticae spinis nigricantibus armatae, fasciisque ornatae, apice subincurvatae, 11 lineas longae. Tarsi $1\frac{1}{2}$ lin. longi.

Differt haec a praecedenti collari levissime punctato, non vero punctis elevatis scabro, a *Pr. punctata* rostro breviori, collari angustiori et femoribus, praesertim posticis, gracilioribus.

### 7. *Proscopia granulata* n. sp.

Tab. IV. Fig. 7.

Pr. collari punctis elevatis scabro, rostro tetragono apice dilatato, antennis rostro brevioribus. Femina long. 5 poll.

Hab. *Bahià Brasiliae;* misit Sello. *Mus. Reg. Berol.*

Corpus obscure testaceum. Caput a margine postico ad apicem rostri 9 lineas longum, totum laeve, ante oculos angustatum. Rostrum basi angustatum, apice maxime dilatatum, obtusum, lateribus membranaceis ante apicem valde productis. Oculi magni. Antennae rostro breviores, acuminatae, fuscae. Collare pollicem et lineas 2 longum, punctis elevatis ubique scabrum, antice posticeque marginatum, subtus linea longitudinali divisum. Foveola triplex ad pedum insertionem. Thorax $4^{1}/_{2}$ lin. longus, sulco transverso distinctus, postice in scutellum elevatus, elevato-punctatus. Metathorax transversim striolatus, lineam longus. Pectus planum, punctatum, fovea antica duplici, postica simplici profundis. Abdomen 2 pollices 9 lin. longum, fere laeve, vix basi punctatum, linea longitudinali dorsali vix conspicua. Venter laevissimus, linea longitudinali media obsoleta. Femora antica $8^{1}/_{2}$, intermedia 8 lineas, postica, quae marginibus vix punctata, pollicem et $7^{1}/_{2}$ lin. longa. Tibiae anteriores 9 lin. longae, posticae, incurvatae, lateribus sulcatae, marginibus spinulosae, supra nigro spinosae fasciisque quatuor nigricantibus ornatae, pollicis et 9 linearum longitudine. Tarsi fuscescentes, anteriores 2 lineas longi, postici anterioribus vix longiores.

### 8. *Proscopia spinosa* n. sp.

Tab. IV. Fig. 8.

Pr. collari punctis elevatis scabro lateribus tuberculato-spinoso, rostro tetragono apice dilatato, antennis rostro brevioribus. Femina long. 5 poll. 10 lin.

Hab. *Bahià Brasiliae;* misit Sello. *Mus. Reg. Berol.*

Maximis adnumeranda, obscure testacea. Caput fere laeve, sensim angustatum, a margine postico ad apicem rostri 10 lineas longum. Rostrum elongatum, tetragonum, apice dilatatum, truncatum, 4 lin. longum. Oculi prominentes. Antennae vix dimidio rostro longiores, fuscae. Collare pollicem et $2^{1}/_{2}$ lin. longum, antice posticeque marginatum marginibus elevatis, dorso punctatum, lateribus tuberculatum, tuberculis utrinque 6 ad 8 validis spinarum loco productis, subtus granulatum lineaque media longitudinali exaratum. Foveola triplex ad pedum insertionem. Thorax vix sulco divisus, poctice in scutellum elevatus, $4^{1}/_{2}$ lin. longus, dorso granulatus, utrinque dilatatus, crenatus. Metathorax lineam longus, striato-punctatus, margine postico incrassato. Pectus planum, laeve, foveolis sex per paria iunctis. Abdomen 3 pollices et 3 lin. longum, vage punctulatum, linea longitudinali vix elevata. Genitalia apice

Tab: IV.



*Fig. 6. Proscopia brevicornis. 7. Pr. granulata. 8. Pr. spinosa. 9. Pr. striata. 10. Pr. acuminata. 11. Pr. ruficornis. 12. Pr. rostrata. 13. brevirostris. 14. Ophiopsis. 15. oculata.*

Dr. Ehrenberg del. C. Müller sc.

nigra. Femora anteriora lineas 8, postica, quae longitudinaliter punctato-lineata, pollicem et 8 lin. longa. Tibiae anteriores 8 ½ lin., posticae pollicem et 9 lin. longae, atque hae vix incurvatae, spinis validis nigricantibus in seriem duplicem positis superne armatae. Tarsi 2 ½ lin. longi.

### 9. *Proscopia striata* n. sp.

Tab. IV. Fig. 9.

Pr. rostro tetragono acuminato, corpore per totam longitudinem striato. Mas long. pollicis unius et 10 linearum.

Proscopia striata *Hoffmannsegg* (Mus.).

Hab. *Parà Brasiliae*, misit Sieber. *Mus. Com. ab Hoffmannsegg.*

Tota grisea. Caput angustum, ante oculos vix angustius, a margine postico ad apicem usque 4 lin. longum, transversim rugulosum, tam dorso quam subtus lineis tribus longitudinalibus elevatis distinctum. Rostrum productum, acutum, 1 ½ lin. longum. Oculi ovati, prominentes, aeneo nitentes. Antennarum flagella desunt, scapi testacei. Collare 5 lin. longum, vix marginatum, supra lineis quinque longitudinalibus elevatis parallelis, subtus linea elevata duplici, a capite ad pedum insertionem ducta, insigne. Thorax a metathorace non discretus, utraque parte plana distincte quinque-lineata, quae iunctae 2 ½ lin. longitudine. Pectus planum. Foveolae pectorales vix ullae. Abdomen 10 lin. longum, supra quinque-, subtus tri-lineatum. Pedes obscuriores. Femora lineis elevatis ornata, anteriora 3, postica 7 lineas longa. Tibiae longitudine femorum, itidem lineatae. Tarsi lineam longi.

### 10. *Proscopia acuminata* n. sp.

Tab. IV. Fig. 10.

Pr. collari subtilissime punctato-rugoso, capite laevi, rostro tetragono, acuminato, antennis rostro duplo longioribus. Mas long. 2 poll. et 5 lin.

Proscopia acuminata *Hoffmannsegg* (Mus.).

Hab. *Parà Brasiliae*; misit Sieber. *Mus. Comit. ab Hoffmannsegg.*

Reliquis brevior, tota testacea. Caput ad oculos parum angustatum, a margine postico ad apicem rostri 4 ½ lin. longum, rostro lineam longo. Oculi oblongi, prominuli. Antennae 2 lineas longae, acuminatae, articulis tertio quintoque brevioribus. Collare cylindricum, pollicem dimidium longum, supra punctato-rugosulum, antice posticeque marginatum, subtus vage punctatum, per longitudinem lineatum, vix foveolatum. Thorax a metathorace non separatus, vix sulculo medio divisus, cum metathorace 5 ½ lin. longus, supra subtilissime rugosulus, subtus planus, laevis, foveolis antice posticeque tribus in triangulum confluentibus. Abdomen pollicem longum, laevissimum. Femora punctulis impressis levissime rugosa, antica 4 lin. longa, intermedia vix breviora, postica

9 lin. longa. Tibiae anteriores lin. 4, posticae, quae quidem nec incurvatae, nec punctatae, dorso autem spinulis non nisi parvis armatae, 9 lineas longae. Tarsi $1\frac{1}{2}$ lin. longi.

### 11. *Proscopia ruficornis* n. sp.

Tab. IV. Fig. 11.

Pr. collari abdomine dimidio breviore subtilissime punctato, rostro brevi conico tetragono truncato, antennis rostro fere duplo longioribus. Femina longitudine 2 pollicum et 10 linearum.

Hab. *Parà Brasiliae;* misit Sieber. *Mus. Comit. ab Hoffmannsegg.*

Statura fere lineari, subfusca seu fusco-testacea, capite thoraceque fere griseis. Caput a margine postico ad rostri apicem $4\frac{1}{2}$ lin. longum, sensim angustatum, laeve, dorso utrinque obscuriore, rostro lineam longo tetragono apice attenuato truncato. Orbitae albae. Oculi prominentes. Antennae $1\frac{1}{2}$ lin. longae, rufae, articulis prioribus brevioribus, scapo fusco. Collare $8\frac{1}{2}$ lin. longum, subtilissime vage punctatum, vix marginatum, subtus nec distincte canaliculatum nec foveolatum. Thorax a metathorace vix separatus, 3 lin. longus, supra punctulis elevatis scaber. Pectus planum, laeve, antice posticeque in triangulum impressum. Abdomen pollicem et 7 lineas longum, levissime impresso-punctatum fereque laeve, linea longitudinali media non distincta; genitalia vix prominentia. Femora inaequalia; antica $5\frac{1}{2}$, intermedia $4\frac{1}{2}$ lin., verum postica, quae punctis subtilissimis impressis subrugosa, pollicem fere longa. Tibiae anticae lin. 5, intermediae $4\frac{1}{2}$, posticae pollicem et ultra longae, eaeque apice incurvatae spinisque nigricantibus armatae. Tarsi anteriores lineam longitudine vix superant, postici $1\frac{1}{2}$ lineas aequant.

### 12. *Proscopia rostrata* n. sp.

Tab. IV. Fig. 12.

Pr. collari abdomine dimidio longiori punctis elevatis scabro, rostro brevi tetragono conico, antennis rostro duplo longioribus. Mas long. trium pollicum.

Hab. *Bahià Brasiliae;* miserunt Gomes et Sello. *Mus. Com. ab Hoffmannsegg* et *Reg. Berol.*

Corpus lineare, obscure testaceum. Caput sensim angustatum, laeve, 4 ad $4\frac{1}{2}$ lin. longum, rostro lineam longo acuminato apice obtuso, vel concolori vel rufescente. Oculi prominentes. Antennae $1\frac{1}{2}$ lin. longae, articulis prioribus brevioribus, fuscae, in nonnullis rufescentes. Collare lineare, supra scabrum, 10 ad $10\frac{1}{2}$ lin. longum, vix marginatum, subtus fere laeve, lineola longitudinali exaratum. Thorax a metathorace non discretus, 3 lin. longus. Pectus planum, laeve, antice posticeque impressum. Abdomen pollicem et 7 lin. longum, laeve, dorso vix lineatum. Pedes inaequales. Femora antica

6, intermedia 5 lin., postica, quae laevia et vix lineata, pollicem longa. Tibiae anteriores femoribus aequales, posticae femoribus paullo longiores, parum incurvatae spinulisque nigricantibus armatae. Tarsi postici 1 1/2 lin. longi, anteriores illis vix breviores.

Differt a praecedente imprimis collari longiori et punctis scabro.

### 13. *Proscopia brevirostris* n. sp.

Tab. IV. Fig. 13.

Pr. collari lineari subtilissime punctato, rostro conico brevissimo, antennis rostro triplo longioribus, abdomine reliqui corporis simul sumpti longitudine. Mas long. poll. 2 1/4.

Hab. *Bahià Brasiliae;* miserunt Sello et Freireiss. *Mus. Reg. Ber.*

Corpus lineare, obscure testaceum, fere fuscum, parte antica tamen femoribusque posticis dilutioribus, his basi rufescentibus. Caput 3 1/2 lin. longum, laeve, ante oculos coarctatum, rostro perbrevi lineam dimidiam longo conico subtetragono subdeflexo, apice obtuso. Oculi magni, prominentes. Antennae rostro triplo longiores, 1 1/2 lin. longi, fusci, articulis prioribus brevioribus, scapo testaceo. Collare lineare, angustissimum, antice posticeque marginatum, subtiliter punctatum, punctis lateralibus elevatioribus; subtus vage punctatum, linea longitudinali indistincta. Thorax cum metathorace 2 1/2 lin. longus, dorso parum rugosulus, subtus planus, vix foveolatus. Abdomen pollicem et 2 lineas longum, laevissimum, dorso vix lineatum. Femora antica 4 1/2, intermedia 4, postica, quae margine inferiori subserrata, 10 lineas longa. Tibiae intermediae 5 lineas longae, anticae vix longiores, posticae dorso subspinosae, ad apicem parum incurvatae, 11 lineas longae. Tarsi anteriores lineam longi, postici eiusdem fere longitudinis.

Differt a sequentibus praesertim collari breviori et subtilius punctato.

### 14. *Proscopia Ophiopsis* n. sp.

Tab. IV. Fig. 14.

Pr. collari punctis scabro, rostro brevissimo, antennis rostro quadruplo longioribus. Femina long. trium pollicum.

Hab. *Bahià Brasiliae;* miserunt Sello et Freireiss. *Mus. Reg. Berol.*

Corpus lineare, totum obscure testaceum seu subfuscum. Caput 4 lineas longum, ante oculos coarctatum, rostro conico deflexo brevissimo, apice obtuso. Orbitae albidae. Antennae longiores, quam in reliquis, 2 1/2 lin. longae, articulis prioribus brevioribus, scapo testaceo. Collare pollicem longum, angustissimum, antice posticeque marginatum, supra punctis confertissimis scabrum, subtus vage punctatum, lineatum. Thorax cum metathorace 3 lin. longus, supra punctis elevatis passim confluentibus scaber, subtus planus, foveolatus. Abdomen polli-

cem et dimidium longum, totum laevissimum. Genitalia vix prominentia. Femora antica 7, intermedia 6 lin. longa, postica lineata margineque inferiori subserrata, pollicem et 3 1/2 lin. longa. Tibiae anticae 7 1/2, intermediae 6 1/2 lin. longae, posticae nigrospinosae, apice subincurvae, longitudine pollicis et 4 linearum. Tarsi postici 2 lineas longi, anteriores parum breviores.

### 15. *Proscopia oculata* n. sp.

Tab. IV. Fig. 15.

Pr. collari punctis elevatis scabro, rostro brevissimo, antennis rostro duplo longioribus, abdomine reliquo corpore breviore. Mas long. 3 poll. et 2 1/4 lin.

Proscopia oculata *Hoffmansegg* (Mus.).

Hab. *Parà Brasiliae;* misit Sieber. *Mus. Comit. ab Hoffmannsegg.*

Corpus lineare, totum testaceum. Caput breve, 4 lin. longum, ante oculos coarctatum, laeve, dorso utrinque fuscescens, rostro brevissimo lineam dimidiam longo angulato subconico valde deflexo, apice obtuso. Orbitae pallidae. Oculi magni, valde prominentes. Antennae lineam longitudine vix superant; articuli indistincti, priores breviores; scapus testaceus. Collare pollicem longum, angustum, punctis elevatiusculis dorso confluentibus nonnullis ad latera elevatioribus scabrum, basi apiceque marginatum, subtus fere laeve, vix lineatum. Thorax subgibbosus, linea transversa in duas partes aequales divisus, dorso rugosulus, postice in scutellum elevatus, tres fere lineas longus. Metathorax lineam dimidiam longus, laevis. Pectus planum, laeve, foveolatum. Abdomen pollicem cum dimidio longum, lineare, laeve, apice incrassatum. Femora antica 7 1/2 lineas, intermedia pollicem dimidium, postica, quae margine non nisi inferiore serrata, pollicem et 3 lineas longa. Tibiae femoribus longitudine fere aequales, posticae spinis nigricantibus armatae, paullulum longiores, omnes apice cum tarsis rufescentes. Tarsi duas lineas longi.

Differt a praecedente corpore validiore, pedibus, praesertim posticis, validioribus, tibiis longius spinosis, oculis maioribus, antennis multo brevioribus.

Corrigenda.

Pag. 18. lin. 23 et ultima, — pag. 19. lin. 17 et 26, — pag. 20 lin. 10 loco: glabrum pon. laeve.

# PLANTAE RARIORES

QUAE

# IN HORTO REGIO BEROLINENSI

A MENSE IANUARIO AD ULTIMUM MAIUM

ANNI 1819

FLORUERE.

RECENSUIT

FRIDERICUS OTTO.

*Filices.*

*Acrostichum* alcicorne.
*Polypodium* pectinatum.
decurrens H. Angl.
*Aspidium* exaltatum.
« pectinatum.
*Asplenium* striatum.
*Adiantum* tenerum.
*Cheilanthes* lentigera.
« ferruginea Humb.
*Woodsia* vestita Spr. Cheilanthes vestita H. Angl.
(Aspidium lanosum Sw.)
(Nephrodium lanosum Mich.)
*Gymnogramma* peruviana H. Berol.

*Aroideae.*

*Piper* brachyphyllum Willd.
(nitens Haw.)
« aromaticum Willd.
(inaequalifolium Vahl.)
« rubricaule H. Berol.
(Tab. nostra VIII.)
*Aponogeton* angustifolium.
*Arum* pinnatifidum.
« pedatum.
*Pothos* pentaphylla.
« macrophylla H. Kew.

*Cyperoideae.*

*Carex* Fraseri Andrews Rep.

*Restiaceae.*

*Restio* verticillaris L.

*Gramineae.*

*Tristegis* glutinosa Nees ab Esenb.
(Agrostis glutinosa Fisch. in litt.)
(Tab. h. op. VII.)
*Setaria* macrostachya Humb.
(Panicum alopecurum Fisch. in litt.)
*Paspalus* elegans Flügge.
*Festuca* delicatula Lagasca.

*Iunceae.*

*Xerotes* rigida R. B.
(Lomandra Labill.)
« longifolia.

*Palmae.*

*Chamaerops* Palmetto.
*Zamia* tenuis.
« integrifolia.
« furfuracea.
« intermedia.

*Coniferae.*

*Casuarina* torulosa.
« equisetifolia Sp. pl. distyla H. Berol.
« stricta Sp. pl., quadrivalvis H. Berol.

*Sarmentaceae.*

*Eustrephus* angustifolius H. Kew.
*Chlorophytum* inornatum Ker.
(Arthropodium R. B.)
*Dracaena* terminalis.

*Coronariae.*

*Tulipa* caucasica H. Berol.

*Fritillaria* nervosa H. Berol.
« tulipifolia M. B.
*Adamsia* scilloides Willd.
(Puschkinia scilloides M. B.)
*Lichtensteinia* laevigata Willd.
*Hyacinthus* romanus.
*Muscari* pallens (Hyacinthus pallens M. B.)
« ciliatum (Hyacinthus ciliatus M. B)
*Aloe* virens
« acuminata.
*Apicra* Radula.
« foliosa.
« aspera.
*Lomatophyllum* borbonicum Willd.
(Aloe marginalis Dec. Pl. gr.)
*Lachenalia* quadricolor Jacq.
« contaminata W.
« pustulata Jacq.
*Drimia* ciliaris Jacq.
*Sternbergia* colchiciflora Kit.
*Tulbagia* capensis Jacq.
*Massonia* latifolia.
« angustifolia.
*Androcymbium* eucomoides.
*Pancratium* speciosum.
*Galanthus* Clusii H. Gorenck.
*Peliosanthes* Teta Andr. Rep.
*Amaryllis* brasiliensis Andr. Rep.
« crocata.
« Radula Jacq.
« reticulata.
*Crinum* americanum.
*Cyrtanthus* obliquus.
*Haemanthus* tigrinus.
« albiflos.
*Sisyrinchium* pubescens Chamisso.
*Crocus* biflorus Mill.
« reticulatus M. B.
*Crocus sulphureus* Ker.
« susianus Ker.
*Pitcairnia* integrifolia Bot. Mag.
*Tillandsia* lingulata.

*Irideae.*

*Iris* reticulata M. B.
« caucasica M. B.
*Gladiolus* cuspidatus.
« quadrangularis.
*Babiana* ringens Ker.
(Antholyza ringens W. Sp. pl.)
*Diasia* iridifolia Dec.
(Melasphaerula Ker.
*Ixia* crispa.
*Watsonia* plantaginea Bot. Mag.
(Ixia plantaginea W. Sp. pl.)

*Scitamineae.*

*Curcuma* Zerumbet Roxb.
Zedoaria Salisb. Link. *Jahrbücher* 1 *Band* 1 *Heft. p.* 81. *u.* 1. *B.* 2. *Heft p.* 63.
*Hedychium* angustifolium H. Angl. Link. *Jahrbücher* 1 *Band* 1 *Heft p.* 184.

*Orchideae.*

*Orchis* Simia Lam.
*Bletia* Tankervilliae R. B.
(Limodorum Tankervilliae Sp. pl.)
« verecunda R. B.
(Limodorum altum Bot. Mag.)
« hyacinthina
(Cymbidium hyacinthinum Sm.)
*Goodyera* discolor R. B. Lodd. Cabin. 148. Bot. Mag.
*Geodorum* dilatatum R. B.
(Limodorum recurvum Sp. pl.)
*Malaxis* lilifolia Sw.
*Cymbidium* aloifolium.
« sinense.
*Epidendron* cochleatum.

*Epidendron* elongatum.
« nocturnum.
« ciliare.
*Broughtonia* maculata H. Berol.
*Neottia* speciosa And. Rep.
« picta H. Kew.
(Neottia acaulis Sm.)
« elata Sp. pl.
(Neottia minor And. Rep.)
*Cypripedium* pubescens.

*Stylideae.*

*Stylidium* fruticosum R. B.
(Stylidium glandulosum Salisb.)

*Museae.*

*Strelitzia* Reginae.
« ovata.
« farinosa.

*Thymelaeae.*

*Daphne* pontica.
« altaica.
*Lachnaea* eriocephala.

*Proteaceae.*

*Isopogon* formosus R. B.
*Protea* speciosa.
« mucronifolia R. B.
*Leucospermum* lineare R. B.
(Protea linearis W.)
*Mimetes* divaricata R. B.
(Protea divaricata Sp. pl.)
*Serruria* triternata R. B.
*Aulax* pinifolia R. B.
(Protea pinifolia Sp. pl.)
*Leucadendron* Levisanus R. B.
(Protea levisana Sp. pl.)
« cinereum R. B.
(Protea cinerea H. Kew. P. alba Sp. pl.)
« adscendens R. B.
(Protea adscendens H. Kew. P. pallens L.)
*Persoonia* linearis Andr. Rep.
« lanceolata Andr. Rep.
*Grevillea* sericea R. B.
(Embothrium sericeum Sp. pl.)
« linearis R. B.
(Embothrium Andr. Rep.)
*Hakea* gibbosa Cav.
(Hakea pubescens Schrad. Conchium gibbosum Sm. Banksia gibbosa Sp. pl.)
« acicularis R. B.
(Hakea sericea Schrad. Conchium aciculare Vent.)
« suaveolens R. B.
« nitida R. B.
« saligna R. B.
(Conchium salignum Sm. Embothrium salicifolium Vent.)
*Banksia* ericifolia.
« marginata.
« paludosa R. B.

*Tricoccae.*

*Euphorbia* meloformis.
« Clava.
« adenophylla H. Berol.
« erosa H. Berol.
« heptagona.
« tuberosa.
« atropurpurea.
« punicea.

*Personatae.*

*Columnea* scandens.
*Russelia* multiflora Bot. Mag. an R. sarmentosa Jacq.?
*Herpestis* procumbens H. Berol.

*Acantheae.*

*Thunbergia* fragrans.
*Barleria* cristata.
*Justicia* picta.
« carthaginensis.

*Bignoniaceae.*

*Gloxinia* speciosa.

*Viticeae.*

*Myoporum* ellipticum R. B.
(Pogonia glabra Andr. Rep. Andreusia glabra Vent.)

« parvifolium R. B.

« viscosum.

*Stenochilus* glaber R. B.

*Hebenstreitia* albiflora H. Berol.

*Labiatae.*

*Monarda* citriodora Cerv.

*Hyptis* brevipes Poir.

« nepetoides Fisch. in litt.

*Bystropogon* plumosum.

*Pogostemon* plectranthoides Desf. Mem. du Mus.

*Asperifoliae.*

*Echium* densiflorum Dec. Lehm. Asperif.

« fastuosum Jacq. Ecl.

« lineatum Jacq. Ecl.

« strictum Hornem.

« bifrons Dec.

« formosum Pers.

*Heliotropium* corymbosum Ruiz et Pav.

*Lithospermum* canescens Mühl.
(Batschia canescens Pursh.)

*Solanaceae.*

*Solanum* amazonicum H. Kew.
(Nycterium amazonicum Lamb.) Bot. Mag. no. 1801 (Tabula Nost. IX.)

« Seaforthianum Dunal.

« Belfortianum Dunal.

*Nicotiana* Langsdorffii Fisch. in litt. (Tab. Nost. X.)

*Hyoscyamus* orientalis.

*Convolvulaceae.*

*Ipomoea* sanguinea Vahl.

*Phlox* amoena Bot. Mag.
(Phlox pilosa Mühl.

*Jasmineae.*

*Jasminum* hirsutum.

« revolutum Bot. Mag. v. 42. no. 1731.

*Gentianeae.*

*Logania* latifolia R. B.
(Exacum vaginale Labill.)

*Contortae.*

*Ceropegia* aphylla Haw.

*Carissa* spinarum.

*Sapotaceae.*

*Jacquinia* aurantiaca H. Kew.

*Ericeae.*

*Rhododendron* dauricum.

« punctatum.

*Azalea* speciosa Willd.

« calendulacea H. Angl.

*Menziesia* globularis H. Kew.

*Rhodora* canadensis.

*Itea* spinosa H. Ang.
(Cyrilla spinosa Spr.)

*Erica* Pelisseriana.

« Aitoniana.

« Linneana.

« andromedaeflora.

« hybrida.

« pomifera.

« reflexa β. alba.

« vestita β. rubra.

*Arbutus* Callicarpa Brouss.
(A. canariensis Lam. et Bot. Mag., longifolia Andr. Rep.)

*Lasiopetalum* solanaceum.

*Epacris* pulchella.

« pungens.

« rosea.

*Leucopogon* lanceolatus H. Kew.
(Styphelia lanceolata Sp. pl.)

*Compositae.*

*Euxenia* grata Chamisso. (Icon. T. XVI.)
*Ixodia* achillaeoides H. Kew.
*Sparganophorus* Struchium Sw.
*Gnaphalium* coarctatum.
« congestum.
« apiculatum Labill.
*Elichrysum* proliferum.
« fasciculatum.
*Aster* stellulatus Labill.
(Aster lyratus Hort.)
« obtusatus W.
« dentatus.
« argyrophyllus Labill.
*Cineraria* parviflora. H. Kew.
« lobata.
« Petasites Bot. Mag.
*Kaulfussia* amelloides Nees ab Esenb. (Tab. Nost. XI.)
*Calendula* chrysanthemifolia.
« incurva.
*Arctotis* speciosa Jacq.
*Othonna* pectinata.
« Athanasia.
*Othonna* abrotanifolia.
« bulbosa.

*Cucurbitaceae.*

*Carica* cauliflora.
« microcarpa.

*Rubiaceae.*

*Spermacoce* linifolia H. Berol.
*Gardenia* Randia.

*Caprifoliae.*

*Viburnum* rugosum Pers.
« Oxycoccos Pursch.
*Cornus* suecica.
« florida.

*Umbelliferae.*

*Eryngium* rostratum Cav.
« bromeliaefolium Laroche.
« mexicanum, an nov. Sp.?

*Saxifrageae.*

*Saxifraga* irrigua Fisch. in litt.
« pensylvanica. (Micranthes Haw.) [1]
*Robertsonia* micranthidifolia Haw. Append. 322.
(Saxifraga erosa Pursch.) [2]

---

[1] *Saxifraga pensylvanica* L. Occurrit in horto nostro:

α) Foliis oblongo-lanceolatis minute denticulatis sparse pilosis, scapo humiliore, florum racemo oblongo, ramis brevioribus, floribus minoribus, bracteis integerrimis, quo quidem maxime congrua *Saxifragae pensylvanicae* descriptioni Michauxii;

β) Foliis oblongis obtusis villoso-mollibus, scapo altiore, floribus quam in praecedente maioribus, ramis racemi inferioribus magis elongatis;

γ) Foliis oblongis obtusis glabris crenatis margineque minutissime ciliatis, scapo glanduloso-villoso altiore, racemo magis elongato, bracteis inferioribus serratis;

δ) Foliis oblongis obtusis sinuato-crenatis glabris margine subciliatis, scapo exaltato villoso-glanduloso, racemi elongati laxi ramis corymbosis, floribus minoribus. *Saxifr. palustris Hortul. Amer.* Conf. Sternberg Saxif. p. 9.

*Micranthes Haw.* Synops. pl. succul. p. 320.

[2] *Saxifraga erosa.* Corolla sub-irregularis; petala alba, lanceolata, acuta, macula versus basin lutea. Filamenta clavata. Germen semisuperum.

Hab. in *Carolina.*

*Robertsonia micranthidifolia Haw.* Synops. pl. succul. p. 322.

*Robertsonia* serrata Haw.
(Saxifraga serrata H. Kew.) [1]

*Terebinthaceae.*

*Brucea* ferruginea.

*Rhamneae.*

*Phylica* pubescens.
« eriophora.
« plumosa.
« stipularis.
« callosa.
*Pomaderris* elliptica Labill.
« ferruginea H. Angl.
« ovata H. Angl.
« apetala H. Kew.
« phylicifolia H. Angl.
« acuminata H. Angl.
*Billardiera* scandens H. Kew.
« longiflora. H. Angl.
« mutabilis H. Kew.
*Pittosporum* coriaceum H. Kew.
« Tobira H. Kew.
« revolutum.

*Diosmeae.*

*Staavia* radiata.
*Diosma* crenatum.
*Adenandra* speciosa Willd.
« rugosa H. Berol.
*Agathosma* acuminatum Willd.
*Correa* virens.

*Rutaceae.*

*Zieria* Smithii Bot. Rep.

*Anoneae.*

*Magnolia* conspicua H. Kew.
« pumila H. Kew.
« obovata H. Kew.
« fuscata H. Kew.

*Meliae.*

*Samyda* rosea.

*Onagrae.*

*Visnea* Mocanera Juss.

*Papavereae.*

*Fumaria* formosa Dryand.
*Sanguinaria* stenopetala Pursch.

*Ranunculeae.*

*Anemone* ochotensis Fisch. in litt.
« apennina.
« quinquefolia.
« thalictroides.
*Hydrastis* canadensis.
*Paeonia* Montan Dec.
« daurica Andr. Bot. Rep.
(Paeonia triternata Pall.)
*Caltha* radicans Forst.
*Helleborus* purpurascens Kit.
« odorus Kit.
« dumetorum Kit.
« vaginatus Kit.
« corsicus Willd.
*Trollius* americanus Mühl.
(Trollius laxus Salisb.)
« aconitifolius Hortul.
« tauricus Hortul.

*Polygaleae.*

*Polygala* bracteolata.
« oppositifolia.
« Heisteria.
« mixta.

---

[1] *Saxifraga serrata*, foliis orbiculato-spathulatis obtusis grosse acuteque serratis cartilagineo-marginatis petiolisque glabris, scapo glanduloso-lanato, floribus racemosis.

Germen superum. Petala alba, purpureo flavoque punctata. Antherae roseae. Hab. in *Hibernia*.

*Robertsonia serrata Haw.* Synops. pl. succul. p. 322.

*Leguminosae.*

*Edwardsia* grandiflora H. Kew.
(Sophora tetraptera Sp. pl.)
« microphylla.
(Sophora microphylla Sp. pl.)
*Virgilia* intrusa H. Kew.
*Podalyria* myrtillifolia.
« sericea.
« mutabilis H. Berol.
« biflora.
« calyptrata.
*Chorizema* nana H. Kew.
*Oxylobium* cordifolium H. Kew.
*Viminaria* denudata Sm.
(Daviesia denudata Vent.)
*Eutaxia* myrtifolia R. B.
(Dillwynia Sm.)
*Gastrolobium* bilobum R. B.
*Daviesia* mimosoides R. B.
*Callistachys* lanceolata Vent.
« ovata H. Angl.
*Bauhinia* aculeata.
*Spartium* ferox.
*Cytisus* proliferus.
*Lebeckia* cytisoides Thunb.
*Borbonia* lanceolata.
*Platylobium* formosum.
*Scottia* dentata R. B.
*Goodia* latifolia R. B.
« pubescens Andr.
*Loddigesia* oxalidifolia Bot. Mag.
*Rafnia* retusa Vent.
*Aspalathus* arachnoides.
*Cajanus* bicolor Dec.
(Cytisus Pseudo-Cajan Jacq.)
*Orobus* pauciflorus.
« varius Curt.
*Indigofera* sarmentosa.
« psoraloides.
« cytisoides.
*Kennedia* rubicunda Vent.
(Glycine rubicunda Sp. pl.)
« monophylla.
(Glycine bimaculata Sp. pl.)
*Hallia* imbricata Thunb.
*Cassia* ligustrina.
*Inga* mellifera Willd.
(Mimosa mellifera Vahl.)
*Desmanthus* divergens Willd.
(Mimosa divaricata Hort.)
*Acacia* verticillata W.
« suaveolens W.
« floribunda W.
« linifolia W.
« stricta W.
« longifolia W.
« falcata W.
« melanoxylon R. B.
« marginata R. B.
« decipiens R. B.
« armata R. B.
« undulata Hort.
« alata R. B.
« pulchella R. B.
« ciliata R. B.
« nigricans R. B.
« discolor W.
« lophantha W.

*Capparideae.*

*Dionaea* Muscipula.

*Gruinales.*

*Pelargonium* ciliatum.
« pilosum.
« rapaceum.
« flavum.
*Oxalis* variabilis.
« speciosa.
« filicaulis.

*Malvaceae.*

*Malachra* heptaphylla Fisch. in litt.

*Malachra* viminea Fisch. in litt.
*Sida* pulchella Willd., an huius generis?
*Thea* Bohea.
« viridis.
« laxa H. Angl.
*Camellia* japonica.
- - - - α. anemonaeflora.
- - - - β. paeoniaeflora.
- - - - γ. myrtifolia.
« Sasanqua.

*Büttnereae.*

*Helicteris* baruensis.
« jamaicensis.

*Ochneae.*

*Quassia* amara.

*Dilleniaceae.*

*Hibbertia* grossulariaefolia Salisb.

*Tiliaceae.*

*Elaeocarpus* serratus Vahl. [1]

*Caryophylleae.*

*Linum* trigynum Sm.
« quadrifolium.

*Cereae.*

*Cactus* alatus.
« praemorsus H. Berol.
*Ribes* aureum Pursch.

*Portulaceae.*

*Claytonia* virginica.
« sibirica.

*Loaseae.*

*Mentzelia* aspera.
« hispida.
*Turnera* elegans H. Berol. [2]

*Myrtineae.*

*Eugenia* uniflora Sp. pl.
(Plinia pedunculata Aubl.)
*Leptospermum* grandifolium H. Angl.
*Metrosideros* saligna.
*Melaleuca* foliosa Dum. Cours. [3]
« calycina.
« squarrosa.
« canescens H. Berol.
*Calothamnus* quadrifida R. B.
« villosa R. B.

---

[1] *Elaeocarpus serratus* Vahl. Willd. Sp. pl.
Serraturae approximatae, parvae, obtusae. Elaeocarpus serratus Persoon Enchir. aliam speciem indicare videtur, licet et hic locorum citetur Synonymon Vahlii, — nam serraturae acuminatae perhibentur in nota adiecta.

[2] *Turnera ulmifolia*, floribus sessilibus petiolaribus, foliis oblongis acute serratis pubescentibus basi biglandulosis.

*Turnera elegans* H. Berol., floribus petiolaribus sessilibus, foliis ellipticis cuneatis obtuse serratis scabris basi biglandulosis.

*Adnot.* Petala pallide lutescentia, infra medium lutea macula baseos fuscopurpurea radiata. Antherae fulvae, stigmatibus breviores.

Hab. in *Japonia*, *Brasilia* et in *Insula Trinitatis.*

*Turnera cuneiformis*, floribus petiolaribus sessilibus, foliis obovato-cuneiformibus grosse obtuse serratis pubescenti-canis, basi biglandulosis.

Turnera cuneiformis Hortul.

*Spr. Nov. prov.* p. 42. no. 94.

Hab. in *Brasilia.*

[3] De *Melaleucis* horti nostri quaedam addere liceat.

*Melaleuca lanceolata* H. Berol. foliis sparsis lanceolatis acutis trinervibus subimpunctatis, spicis laxis nudis glabris, phalangibus polyandris, unguibus petalo subaequalibus.

*Adnot.* Flores lutescentes. Folia 4—6 pollices longa, unum lata, obsoletissime punctata.

A *M. genistaefolia* H. Kew. differe videtur spicis nudis, nec foliis interstinctis.

*Tristania* nereifolia R. B.
(Melaleuca nereifolia Bot. Mag.)
(Melaleuca salicifolia Andr. Rep.)
« conferta R. B.

*Sedeae.*
*Sempervivum* aureum Smidt. 1)
« barbatum Smidt. 2)
(spathulatum Horn. Enum. Suppl.)

---

*Melaleuca ericifolia* H. Kew. T. IV. p. 413. Nr. 12., foliis lineari-subulatis canaliculatis muticis, spicis ovalibus glabris, phalangibus octo decandris, unguibus petalo vix aequalibus.

*Adnot.* Flores flavescentes.

*Melaleuca erubescens* H. Berol., foliis lineari subulatis supra planis mucronulatis, spicis cylindraceo-conicis glaberrimis, phalangibus polyandris, unguibus petala superantibus.

*Dumont Courset le Botaniste Cultivateur* T. V. p. 373. Nr. 8. (M. diosmatifolia) et T. VII. p. 275. 8.

*Adnot.* Folia quam in precedente teneriora, breviora. Spicae densae, floribus superioribus magis distantibus bracteisque subulatis suffultis. Flores lutescentes; filamenta rosea antheris et unguibus flavis.

M. armillaris Hort. Paris.

*Melaleuca armillaris* Hort. Kew. T. IV. 413. 13., foliis lineari-subulatis carinatis supra canaliculatis apice recurvis mucronatis, spicis cylindricis glaberrimis, phalangibus polyandris, unguibus petala superantibus.

*Adnot.* Folia praecedentis, latiora, longiora; spicae floresque maiores; stamina lutea, ungue longiora.

*Melaleuca decussata* Hort. Kew. T. IV. p. 415. 18., foliis oppositis decussatis oblongo-lanceolatis obsolete trinervibus, spicis lateralibus ovalibus glaberrimis, phalangibus polyandris, unguibus brevissimis.

*Adnot.* Stamina purpurascentia.

*Melaleuca tetragona* Hort. Loddigens., foliis oppositis decussatis ovato-ellipticis trinervibus, . . . .

*Adnot.* Folia quam in praecedente latiora, subtus multo minus punctata magisque remota et patentia. Flores non vidi.

*Melaleuca parviflora* Hort. Berol., foliis oppositis decussatis lanceolatis obsolete trinervibus, spicis paucifloris, phalangibus polyandris, unguibus brevissimis.

*Adnot.* Differt a *M. thymifolia* foliis confertis obtusis unguibusque staminum brevissimis. Flores purpurascentes.

*Melaleuca canescens* Hort. Berol., foliis ternis lanceolatis trinervibus canó-pubescentibus, spicis ovatis.

*Adnot.* Spicae terminales in ramulis brevibus axillaribus. Phalanges staminum hexandrae. Flores flavescentes. Antherae sulphureae.

1) *Sempervivum aureum* Smidt, foliis ovato-spathulatis margine cartilagineo-membranaceis, floribus cymoso-umbellatis, petalis viginti.

Caulis foliosus, ramosus; rami cymae semel dichotomi.

Flores lutei; petala linearia. Stamina plerumque 20. Pistilla numerosa. Nectaria nulla. *Smidt*, *mspt.*

S. aureum Smidt: foliis obovato-spathulatis patentibus apice mucronatis margine integerrimis cartilagineis, inferioribus depressis, propaginibus patulis. *Horn. Suppl. Hort. bot. Hafn.*

Hab. in *Canariis.* ♃. ♂.

2) *Sempervivum barbatum* Smidt, caule frutescente, foliis ovato-spathulatis acutis margine cartilagineo-ciliatis, floribus paniculatis, calycibus corollisque hexaphyllis. — Pistilla nulla.

S. spathulatum *Horn. Suppl. hort. bot. Hafn.* caule frutescente, foliis petiolatis spathulatis margine cartilagineo-dentatis, ramis tortuosis.

Hab. in *Canariis.* ♄.

*Sempervivum* caespitosum. Smidt. [3]
(ciliatum Bot. Mag.)
(barbatum Horn. Enum. Suppl.)
« foliosum Smidt. [4]
(Smidtii Bot. Mag.)
*Cotyledon* tuberculata.
*Bryophyllum* calycinum Salisb.
(Cotyledon calycinaHaw. pl. succ.)

*Rosaceae*

*Dalibarda* fragarioides Mich.
*Rubus* rosaefolius.
*Pyrus* japonica.

---

[3]) *Sempervivum caespitosum* Smidt, caespitosum, propaginibus globosis, foliis lanceolato-linearibus longe ciliatis lineato-maculatis glabris, floribus umbellato-cymosis.

Caulis subfoliosus, pubescens, ramis cymae dichotomis, ramulis simpliciter racemosis. *Smidt*, *mspt.*

Hab. in *Canariis.* ♃.

S. ciliatum Bot. Mag. no. 1978., herbaceum, foliis radicalibus oblongo-ovalibus acutis ciliatis utrinque maculatis; caulinis ligulatis, floribus corymboso-paniculatis.

S. barbatum *Horn. Suppl. hort. Hafn.*, propaginibus patulis, foliis lanceolato-linearibus ciliatis, caulinis linearibus reflexis, staminibus 14.

[4]) *Sempervivum foliosum* Smidt, *S. Smidtii Bot. Mag.* no. 1980. Caule frutescente, foliis obovatis acuminatis plano-convexis subtus maculatis, caule hispido, ramis floriferis confertifloris, apice revolutis.

Hab. in *Canariis.* ♄.


# SYLLOGE

## OBSERVATIONUM BOTANICARUM


AUCTORE

C. G. NEES AB ESENBECK.

Cum Tabulis VII. aeneis.





1. Cyathus dasypus.




2. Dufourea tortuosa.




3. Fimbraria marginata.




4. Jungermannia fasciculata.

I. Sturm sc.

# I.

## *Cyathus dasypus* n. sp.

Late infundibuliformis, extus intusque laevis, fusco-plumbeus, radice dilatata truncata.

### Descriptio.

Accedit *Cyatho laevi* Persoonis, sed differt habitu et colore. Altitudo lin. 2—3, latitudo limbi 5—6. E basi radiculosa dense intertexta terraeque immersa dilatata subtus explanata et quasi detruncata, — (ut totus fungillus, plano libere impositus, radice, ceu basi, sustentetur—), peridium assurgit obconicum, limbo derepente plano-dilatato recurvato altitudine multo latiore, extus intusque glabrum, sed extus subtilissime rugulosum, intus autem laeve et nitidulum. Color superficiei interioris fuscolividus, exterioris magis ochraceus, —pedis, seu radicis, griseus. Peridiola, in fundo nidulantia, parca adsunt, lenticularia, subangulata, albicantia.

Habitat in *Capite b. Spei*, caespitosus in terra nuda limosa. Herb. *Ottonis*, amic. suaviss.

### Explicatio iconum Tab. V. Fig. 1.

A et B. Fungi Forma naturalis.

a. Capsula a supera facie. *)

b. — a latere visa cum funiculo.

c. — dissecta, lente simplici fortiori aucta.

d. Laminae capsularis centies aucta pars, eaque vitris valde compressa;

*. est Peridii, i. e. massae albae, albumen referentis, pars. conf. e.

e. Figura docet, unde figura d. sit petita.

---

*) Capsula constat e Pridiolo (exteriore fibroso) Peridio (interiore carnoso) et strato thecarum circulari medio.

# II.

## *Plocaria.*

### *Locus.*

Inter Lichenes idiothalamos phymatoideos Acharii, (Lichenographiae universalis, Class. I. Ord. II. Lich. Idiothalami heterogenei Syn. M. Lich.) post *Endocarpon.* Lichenum globiferorum Tribus mihi.

### *Character essentialis.*

Apothecium globosum, thallo impositum atque ex eius cortice enatum, perforatum; nucleo similari celluloso-granuloso.

Thallus ramosus, teres, filiformi-fruticulosus.

### *Character naturalis.*

Apothecium subglobosum, thallo impositum, e cuius cortice magis indurato enascitur, thalamio solitario compositum. Perithecium simplex, coriaceum, thallo concolor, intus floccoso-gelatinosum et gongylis radiatim seriatis substantiae immixtis striatum, vertice papillaeformi perforatum. Parenchyma nuclei ad basin Apothecii collecti liberi ceraceum, e gongylis compactis subcellulosum.

Gongyli et intra corticis stratum interius seriati, et nucleum liberum basi adhaerentem constituentes, nudi, sparsim concatenati, ovati vel oblongi, pellucidi.

Thallus ramosus, filiformis, teretiusculus, cortice membranaceo; intus stuppeus.

Species 1. *Plocaria candida.*

### *Descriptio.*

Thallus 6-uncialis et ultra, teres, mollis, lacunoso-substriatus et rugulosus, celluloso-punctatus, glaber, irregulariter ramosus; ramulis ultimis 2—3 fidis subulatis compressiusculis flaccidis.

Fibrae hinc inde in caule et ramis oriuntur filiformes, tenuissimae, subfasciculatae, articulatae; geniculis fasciatis obscuris, articulis hyalinis, in ramulis geniculorum longitudine et latitudine, in trunco iisdem paullo latioribus et saepe duplo longioribus. (Num plantae propriae, an potius in ea parasiticae?)

Apothecia magnitudine seminis Papaveris, in trunco et ramis maioribus sparsa, sessilia, hyalino-alba, laevia, subcartilaginea, globoso-depressa, orificio papillaeformi perforata.

Habitat in *India orientali*, e regione *Benghalensi* allata herbario *Ottonis.*

Observatio. Affinis *Alectoriae usneoidi* et *arabum*, sed differt genericis characteribus, tum thallo tereti, nec compresso, inordinatim ramoso habituque laxo et molli.

Anne hae supra memoratae species eiusdem cum hac nostra generis, notis essentialibus ob collapsa apothecia ab Achario, oculatissimo sane viro, neglectis?




*Plocaria candida.*

F. Guimpel del. I. Sturm sc.

Explicatio Tabulae VI.

a. Planta sterilis magnitudine naturali.
b. — fertilis — — —
A. Truncus cum Apotheciis, aucta magnitudine.
B. Fibrae accessoriae (radiculosae), fortius auctae.
α. Apothecium, verticaliter dissectum, magnopere aucta magnitudine.
β. Fibrae accessoriae thalli, fortissima lente auctae.

## III.

*Dufourea tortuosa* n. sp.

Pulvinata, ramis erectis tortuoso-lacunosis fastigiatis, iunioribus teretibus, adultioribus complicatis explanatis solidis, apotheciorum disco lutescente.

*Descriptio.*

Stirps singularis, densissime caespitosa, subgelatinoso-coriacea.

Thallus iuvenilis fruticulosus, undique gyroso-rugosus, basi connexus, apice subdichotomo-ramosus; ramis fastigiatis sibi invicem adpressis apicibusque saepe materie subgelatinosa conglutinatis. Color recentis lutescens, apicibus olivaceis. Ramuli plerique obtuso fine, ceu globulo, terminantur, quo demum aperto truncati, vel apice excavati cernuntur, disco tum expallescente molliori. Stirps adulta alieno habitu oculos fallit: scilicet ramis omnibus explanatis tortuosis, apicibusque onustis plurimis apotheciis parvis concoloribus, i. e. olivaceis, concavis margine acutis ex ipso thallo formatis, Lichenibus vulgatioribus magis accedit.

Quod ad texturam attinet, mollis quidem, sed cortice distincto subcoriaceo obducta, parenchymate obsolete celluloso succulento virescente. Apothecia strato proligero indistincto gaudent vixque propagula nutriunt.

Habitus plantae iuvenilis Lemaneam fere innuit *Borii St. Vincentii*, sed progrediente vita ad Lichenis formam magis magisque affingitur.

Habitat in regionibus *Orinoci* fluvii *Americae australis.* Specimina nostra ex herbario *Ottonis* nostri petimus.

Observatio. Thalli fistulosi et Apotheciorum subtus liberorum character in genere *Dufourea* Acharii vel negligendus, vel nostra *D. tortuosa* una cum *ryssolea* et *obtusata* in proprium genus colligenda.

Explicatio Iconum T. V. Fig. 2.

a. Caespitulus sterilis magnitudine naturali.
a*. Ramulus, seorsim delineatus.
A. Idem, magnitudine aucta.
B. Ramuli fructiferi, magnitudine aucta.

## IV.

### *Fimbraria.*

*Locus.*

Cryptogamia Lin. Ordo naturalis: Hepaticae Juss. Spreng. — E *Marchantiis* Linneanis.

*Character essentialis.*

Receptaculum fructus commune pedunculatum, subtus fructus gerens deorsum spectantes. Calyptra saccata, latere fissa, propendens. Capsula circumscissa sessilis. Semina elaterata.

Differt a *Marchantia* calyptra propendente, capsula circumscissa, (perichaetio piloso) — a *Duvalia* N. ab E. calyptrae praesentia receptaculoque horizontali et perichaetio.

1. *F. marginata*: receptaculo quadrilobo obtuse papillato quadrifloro, fronde subsimplici subtus margineque purpurascenti-fusca.

*Descriptio.*

Frondes simplices, integrae vel subdichotomae, caespitosae, congestae, oblongae, margine sinuatae, undulatae, apice retusae, papyraceae, supra laeves, glabrae, virescentes, subtus secundum longitudinem radiculosae, marginem versus purpurascentes; margines ipsi tenues, submembranacei, ascendentes, subtus et supra purpurascenti-fusci. Flores masculi ignoti, — feminei ad apicem frondis solitarii. Perichaetium breve, tubulosum, margine villis longis comatum. Pedunculus fronde triplo longior, fusco-purpurascens, compressus, glaber. Receptaculum magnitudine seminis Viciae, hemisphaericum, granulatum, ad pedunculi insertionem longe barbatum; lobis quatuor circa umbonem medium subglobosum collocatis, singulas capsulas foventibus. Calyptrae propendentes, ovatae, griseae, 9-12 — fidae, laciniis linearibus tenuibus apice cohaerentibus. Capsula subglobosa, sessilis, circumscissa, margine crenulata, membranacea. Semina aspera.

Habitat in *Capite b. spei* ad terram. Herb. Cl. *Ottonis*. Misit etiam *Bergius* cum multis aliis muscis rarioribus, icone lineari e planta vegeta adiecta. *)

---

*) Addere liceat, quae *Bergius* chartae, in qua specimina sua involverat iconibusque scripta adiecit.

Muscus hepaticus. Surculi dichotomi, latitudine lineae vel lin. 1 1/2, terrae adpressi, virides, margine adusti; iuniores lacerato-ciliati. E vetustioribus surculis surgit trunculus, pileum quadriloculatum gerens. Quodvis loculamentum globulum membrana peculiari involutum continet. Quae membrana dentibus sanguineis (omnes hos numeros 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, vidi) aperturam inferam cuiusvis cellulae claudentibus annexa. Iunctura trunculi et pilei setis vel pilis dependentibus vestita. Iuxta viam in monte *Leuwenstaart* Aug. 15. Trunculos unciales vidi.

Explicatio iconum Tab. V. Fig. 3.

a. Caespes plantularum magnitudine naturali.
A. Planta separata, magnitudine aucta.
†. Fructus, magnitudine auctus.
††. Calyptrae pars, magnitudine aucta.
α—ε. Figurae e schedis Bergianis repetitae, plantulam recentem et iuvenilem exhibentes.

2. *Fimbraria saccata:* receptaculo hemisphaerico integro quadrifloro, fronde simplici concolore.

Marchantia saccata Wahlenberg. *Berl. Magaz.* V. 3. p. 296. Tab. VII. Fig. 3.

3. *Fimbraria fragrans:* receptaculo subconico integro laevi quadrifloro, frondibus simplicibus supra concoloribus.

M. fragrans Balbis. Web. et Mohr Prodromus p. 106. Wallroth. Annus botanicus p. 120. t. VI. f. 9. a—f.

Habitat in *Italia*, *Helvetia*, *Gallia*, — *Carolina?*

4. *Fimbraria tenella:* receptaculo femineo hemisphaerico apiculato multifloro, frondibus stellatim aggregatis.

Marchantia tenella Lin. — Dill. Tab. 21. fig. 4.

Habitat in *Virginia* et *Canada.*

Observatio. Forte et *M. gracilis* Web. Prodrom., *M. Ludwigii* Schwaegr. et *M. pilosa* Fl. Dan. VIII. Tab. 1428 huius generis sunt, sed propter lacinias calyptrae, seu calycis, liberas separavimus, donec de penitiore structura certi simus.

# V.

*Jungermannia fasciculata.*

*Locus.*

Stipulatae, amphigastriis simplici serie 3–4 — fidis.

*J.* surculis procumbentibus nudis ramosis, foliis semiverticalibus ascendentibus integerrimis, amphigastriis quadrifidis ciliato-dentatis.

*Descriptio.*

Caules 2–3 — unciales, procumbentes, rufi, dichotomi, ramulis apicem versus approximatis subfasciculati, subtus nudi. Folia inferiora minora, superiora magnitudine crescentia, subrotunda, obsolete retusa, oblique invicem incumbentia, adnata, ascendentia, concava, integerrima, rarius dente uno alterove setaceo praedita, luteo-viridia. Amphigastria foliis duplo minora, appressa, suborbiculata, quadrifida; laciniis inaequalibus acuminatis ciliato-dentatis. Fructus ignotus.

Habitat in *Promont. b. Sp.* — Herb. Cl. *Ottonis.*

Differt a *J. nitida* Web., *convexa* Thunb., foliis integerrimis et stipularum laciniis ciliato-dentatis.

Explicatio iconum T. V. Fig. 4.

a. Planta, magnitudine naturali.

A. Ramus, magnitudine aucta.

†. Folium, magnitudine magis aucta.

††. Amphigastrium, magnitudine aucta.

Tab: VII




*Tristēgis glutinosa*

C. Müller sc.

## VI.

### Tristegis.

*Character essentialis.*

Calyx duplex, uniflorus; exterior squamaeformis, minutus; interior aequalis, bivalvis, valvula altera aristata. Corolla calyce minor, bivalvis, mutica. Nectarium nullum.

*Character naturalis.*

Flores paniculati. Panicula oblonga, ramis solitariis erecto-patulis flexuosis angulosis minutissime pubescenti-scabris. Pedicelli breves, angulosi, scabriusculi, apice incrassati. Calyx duplex; exterior uniglumis, valvula minutissima ovato-subrotunda obtusa membranacea, alterae calycis valvulae arctissime appressa; interior bivalvis, valvulis subaequalibus corolla longioribus oblongo-lanceolatis, dorso convexis complicatis striatis glabris; exteriori paullo latiori 7-nervi emarginata, nervo medio in brevem apiculam purpuream nitidissimam apice purpurascentem exeunte; interiori angustiori apice bifida et purpurascente 5-nervi, nervo in setam purpuream rectam scabram valvula quadruplo longiorem protenso. Corolla tenuis, membranacea, alba, bivalvis; valvulis oblongis aequalibus glabris; exteriori basi trinervi, apice integerrima, interiorem obsolete binervem apice truncato-denticulatam amplectente. Nectarium nullum! Stamina tria; filamentis corolla brevioribus filiformibus; antheris magnis exsertis bifidis purpureo-fuscis. Germen ovatum, subrostratum, antrorsum pubescens; styli duo; stigmata magna, plumosa, purpurea.

Sp. 1. *Tristegis glutinosa.*

Agrostis glutinosa Fischer. H. Ber.

*Descriptio.*

Radix perennis, fibrosa. Culmi procumbentes, ramosissimi, teretes, nodosi, glabri, versus genicula villosuli, vaginis obtecti, ad genicula fibris descendentibus purpureis radicantes. Folia lineari-lanceolata, acuminata, plana, striata, basi calloso-alba, costa media vix subtus prominente, utrinque villis longis tenerrimis erectis apice glanduliferis mollibus adspersa et viscidula. Vaginae inferiores foliis breviores et saepe hiantes, — superiores iisdem longiores, integrae, omnes striatae et villis mollissimis candidis glanduliferis dense vestitae. Ligulae loco series transversa villorum breviorum erectorum.

Odor plantae ob liquidi quid, e glandulis, quibus obtegitur, exsudans, singularis, acidulus, simul empyreumaticus.

Habitat in *Brasilia?*

Explicatio Tabulae VII.

a. Planta, magnitudine naturali.
b. Spicula clausa, a dorso visa, magnitudine aucta.
c. Eadem aperta, a latere visa, magnitudine aucta.
d. Calix externus, magnitudine aucta.
e. Calicis interni valvula interior, magnitudine aucta.
f. Calicis interni valvula exterior, magnitudine aucta.
g. Pistillum, magnitudine aucta.
h. Pars vaginae foliorum cum glandulis, magnitudine aucta.

## VII.

*Piper rubricaule* H. Ber.

Foliis quaternis quinisve oblongis subsessilibus trinervibus concavis glabris, spicis terminalibus geminis.

*Descriptio.*

Caules fruticulosi, plures ex eadem radice, plerique simplices, semipedales, crassitie pennae cygneae, erecti, subangulati, glabri, laeves, subcarnosi, purpurei. Folia verticillata, verticillis 2–5, erecto-patula, oblonga, obtusa, basin versus attenuata, inferiora breviora, brevissime petiolata, superiora longiora, sessilia, omnia concava, trinervia, rigida, subcarnosa, glabra, punctata, supra saturate subtus pallide viridia. Spicae terminales, geminae, semipedales et ultra, crassitie pennae columbinae, primum rectae, demum nutantes aut decurvae. Flores remotiusculi. Bracteae oblongae, obtusae, ciliatae.

Habitat in *Brasiliis*. Colitur in *H. b. Berol.*

Differt a *Pipere pereskiaefolio*, cui proximum, caule purpureo minus angulato, foliis longioribus angustioribus concavis subsessilibus, spicis longioribus geminis.

*Piper pereskiaefolium* itaque aliis verbis definiendum: *P.* foliis quaternis quinisve ellipticis utrinque attenuatis petiolatis trinervibus planis glabris, spicis terminalibus solitariis.

Tabula VIII.

Planta, magnitudine naturali.



Piper rubricaule H. B.

C. Müller sc.

# VIII.

## *Spermacoce* L.

Adnotatio. Herbarium *Ottonis* nostri inter alias rariores stirpes, multasque novas describendas, *Spermacoces* generis complures ostendit species, quas, in recentissimo opere *Roemeri* et *Schulthesii* praetermissas, hic locorum liceat brevibus tangere et cum affinibus comparare.

1.

### *Spermacoce verticillata.*

Glabra erecta, foliis lineari-lanceolatis acutis, verticillis globosis, altero terminali.

Sp. verticillata R. et Sch. Syst. Veg. III. p. 277. 13.

Observatio. Tota glaberrima. Caulis tetragonus, angulis acutis. Folia glabra, laevia, venis paucis lineata, subsessilia, acuta, 1 1/2-uncias longa, 2-3 lineas lata; foliorum minorum fasciculi in axillis. Vaginae breves, membranaceae, utrinque 5-setae, supremae subverticillares, pubescentes. Verticilli duo, densi; secundus terminalis, bifolius. Flores minuti, albi, staminibus longitudine corollae. Calyces ciliati.

Habitat in *Jamaica*, *Africa?* Annua.

2.

### *Spermacoce mucronata nobis.*

Glabra, erecta, foliis lanceolatis mucronulatis, petiolis muricatis, verticillis globosis, altero terminali.

*Descriptio.*

Caulis erectus, glaber, quadrangulus, lateribus alternis angustioribus, angulis acutiusculis. Folia lanceolata, vix pollicaria, 3 lin. lata, obtusa cum mucrone, in petiolum attenuata, margine setulis remotis scabra, costa versus basin petioloque dorso muricatis. Vaginae striatae, utrinque 5-setae, pubescentes. Foliorum fasciculi parci ex axillis. Verticilli duo, globosi, densi, ultimo terminali bifolio. Flores parvi, albi. Calyces lineares, scabri. Corolla infundibuliformis, laciniis ovatis obtusis. Stamina longitudine corollae. Fructus glaber.

Differt a praecedente: foliis ratione latitudinis multo brevioribus obtusis cum mucrone, margine petiolisque dorso scabris magisque approximatis, caule humiliore.

Habitat in *Brasiliis.* Perennis.

3.

### *Spermacoce linifolia nobis.*

Glabra, erecta, foliis lanceolatis acutis margine costaque scabris, verticillis subbinis, altero terminali.

*Descriptio.*

Caulis spithamaeus et altior, erectus, glaber, quadrangulus, geniculatus,

nodis approximatis. Folia opposita, lanceolata, basi attenuata, sessilia, integerrima, acuta, patentia, avenia, margine scabra, costa infra setis antrorsum spectantibus muricata, caeterum glabra, summa lineari-lanceolata. Stipulae vaginales nervosae, completae, scariosae, margine setis utrinque 5-ciliatae. Flores capitati, terminales, subiecto interdum uno alterove verticillo. Bracteae oppositae, binae aut quaternae, lineari-lanceolatae foliisque simillimae, basi dilatata albo-membranacea connatae, vaginantes, vaginae margine ciliato. Flores densissime capitati, parvi, albi. Calyx superus, membranaceus, ciliatus, in duo foliola setacea viridia abiens. Corolla infundibuliformis, tubo brevi, limbo patulo 4-dentato, dentibus ovatis brevibus obtusiusculis. Faux ciliis conniventibus clausa. Stamina 4, cum laciniis limbi alternantia iisque paullo breviora, inter lacinias fauci inserta, alba, ante anthesin incurva. Antherae albidae, ovatae. Germen inferum, compressiusculum. Stylus filiformis, staminibus paullo longior. Stigma bifidum, laciniis revolutis. Receptaculum setulis et paleis, vaginis bractearum similibus, interstinctum.

Habitat in *Brasiliis*. Colitur in horto botanico *Berolinensi*. Perennis.

4.

*Spermacoce reclinata nobis.*

Glabra, ascendens, foliis lanceolatis acutis laevibus, floribus capitatis.

Observatio. Caulis procumbens arcuque ascendens, sicuti et rami, gracilis, tetragonus, glaber, angulis acutis infra genicula scabris. Folia lanceolata, utrinque acuta, in petiolum laevem attenuata, et ipsa laevia, glabra, subavenia, unciam longa, vix tres lineas lata. Vaginae breves, membranaceae, utrinque 5-setae, pubescentes. Capitulum terminale hemisphaericum, densum, bifolium, foliis his linearibus reliquis duplo brevioribus. Flores albidi, maiores quam in binis praecedentibus. Corolla infundibuliformis, laciniis obtusis. Stamina longitudine corollae. Calyx et fructus glabri.

Habitat in *regno Mexicano*. Perennis.

5.

*Spermacoce cornifolia* Fischer.

Villosa, erecta, foliis oblongis acutis, venis subtus pubescentibus, verticillo altero terminali quadrifolio, staminibus exsertis.

*Descriptio.*

Caulis erectus, pedalis, quadrangulus, mollissime villosus. Folia elliptico-oblonga, acuta, in petiolum decurrentia, venoso-lineata, margine subciliata, venis subtus pubescentibus. Petioli villosi. Stipulae villosae, multisetae. Foliorum fasciculi in axillis. Verticilli densi, secundus terminalis, foliis 4 suffultus. Flores pallidi. Calyx membranaceus, villosus, laciniis 4 aequalibus linearibus ciliatis. Corolla tubulosa, nervis striata. Stamina exserta, antheris violaceis. Stylus exsertus.

Habitat in *Brasiliis*. Annua.



a b c d e

*Solanum amazonicum.*

Prof. F. Guimpel ad nat. pinx. et sculp.

Nomine *Spermacoces cornifoliae* Fischeri in herbario locupletissimo Cl. *Ottonis* praesto est. Similis *Spermacocae villosae* Swartzii, a qua differt: foliis latioribus, solis nervis subtus pubescentibus staminibusque exsertis. Definitio itaque huius mutanda:

*Spermacoce villosa:* erecta, foliis ovato-lanceolatis pubescentibus, verticillo altero terminali quadrifolio, staminibus inclusis.

## IX.

*Solanum amazonicum* H. Kewensis.

Fruticosum, inerme, foliis ovato-ellipticis basi inaequali subcordatis repandis tomentosis, calycibus aculeatis, antheris tribus longissimis recurvis.

Syn. Nycterium amazonicum Lamb. *Bot. Mag.* No. 1801.

*Descriptio.*

Caulis fruticosus, erectus, pilis stellatis tomentosus, albidus. Folia alterna, ovato-elliptica, petiolata, basi inaequalia, subcordata, obtusa, obtuse sinuata, supra pubescentia, subtus tomentoso-cana, pilis stellatis. Pedunculi oppositifolii, foliis breviores, 3-5flori. Calyces erecti, profunde 5-fidi, tomentosi, plerique aculeati, aculeis rectis basi fuscis. Laciniae calycis lanceolatae. Corolla amplissima fere generis, rotata, planiuscula, laciniis acuminatis undulatis, ipso apice obtuso. Color corollae lilacinus, fundo radiis 5 luteis. Antherae luteae; superiores 2 breves, rectae, inferiores 3 triplo longiores, corniformes, recurvae.

Habitat in *Brasiliis.* Herb. Cl. *Ottonis.* Colitur etiam in horto botanico Berolinensi.

Explicatio Tabulae IX.

†. Plantae ramus, naturali magnitudine.
a. Corolla, secundum longitudinem dissecta, magnitudine naturali.
b. Calyx clausus, magnitudine naturali.
c. Idem, a latere dissectus, magnitudine naturali.
d. Anthera maior corniformis, aucta magnitudine.
e. Pistillum, aucta magnitudine.

# X.

*Nicotiana Langsdorfii* H. Berol.

Fruticosa, foliis ovatis in petiolum subdecurrentem attenuatis cauleque villoso-mollibus, floribus cernuis, limbo subintegro.

*Descriptio.*

Caulis lignosus, 2–3 pedalis, teres, pilis mollibus patentibus albis apice glandulosis villosus, superne parce ramosus, ramis brevibus erectis. Folia alterna, patentia, inferiora recurva, ovata, obtusa, integerrima, pubescentia, ad costam praesertim subtus villosa, basi in petioli formam contracta et paullulum decurrentia, suprema ratione longitudinis latiora, basi vix contracta amplexicaulia. Flores in apice caulis et ramorum terminales, racemosi, secundi, pedunculo communi saepe gemino, singulo 3–5-floro, nudo, villoso-glutinoso. Pedunculi proprii breves, erecti, bracteis parvis lanceolato-linearibus ciliatis suffulti. Calyx campanulatus, 10-angulatus, pubescenti-glutinosus, laciniis lanceolato-subulatis tubo corollae plus triplo brevioribus. Corolla virescenti-flavescens, tubo cylindrico basi repente angustato sub limbo globoso inflato pubescente, limbo tubo triplo breviori erecto repando aut obsolete quinquelobo. Filamenta tubo vix longiora, alba. Artherae cordatae, violaceae. Capsula ovata, subcompressa, laevis, calyce paullo longior.

Habitat in *Regno Chilensi.* Herb. Cl. *Ottonis*, et culta in horto botanico *Berolinensi.*

Explicatio Tabulae X.

Magnitudo naturalis.

Corolla, a latere dissecta et aucta.

††. Calyx cum pistillo.



C. Müller sc.

Nicotiana Langsdorfii

# XI.

## *Kaulfussia.*

### *Locus.*

Syngenesia superflua Lin. Ord. nat. Corymbiferae Juss. Compositae radiatae Spr. Helianthaceae Millereae Cassini.

### *Character essentialis.*

Receptaculum nudum. Pappus sessilis, plumosus, radii nullus. Calyx simplex, aequalis.

### *Character naturalis.*

Calyx communis simplex, aequalis, foliolis 14–16 lanceolatis obtusis membranaceo-marginatis costa valida herbacea obtusa carinatis applicatis. Calathidium radiatum. Flosculi radii feminei copiosi, contigui, ligulati, tubo filiformi (pubescente) limbo oblongo mox revoluto obtuso apice tricrenato. Germen compressum, cuneiforme, brevissime pedicellatum, cum pedicello foveis receptaculi arcte inhaerens, (pubescens); area apicali papillata. Stylus tubo vix longior. Stigma bifidum. Pappus nullus, nisi fimbria pilorum brevissimorum. Flosculi disci hermaphroditi, tubuloso-infundibuliformes, plerique incurvi; tubo pubescente; limbo 5-fido patente. Antherae congenerum, connatae. Germen ut in flosculis radii. Stylus longitudine tubi antherarum. Stigma bifidum, revolutum. Pappus setis rigidulis plumosis longitudine tubi flosculorum. Receptaculum convexum, alveolatum.

Differt a *Senecilli* Gaertneri (de Fructib. T. II. Tab. 125.) pappi radialis defectu et discoidalis longitudine eximia; ab *Agathaea* Cassinii *(Bulletin de la Soc. Philom. à Paris Nov.* 1817. p. 183.) pappo difformi, qui in *Cineraria amelloide* L., generis illius typo, tam in radio quam in disco setosus, plumulosus.

Caeterum de *Agathaea microphylla*, l. c. descripta, nisi generi isti annecteretur ab autore tam scrupuloso, dubitaremus forte, anne sit eadem atque haec nostra species in sequentibus describenda. Habitus illi tribuitur *Cinerariae amelloidis (Agathaeae coelestis* Cass.), sed folia alterna, multo magis approximata, et caulis hirsutus, — caryopsides autem glabrae perhibentur, quae in nostra pilis induuntur.

Sp. 1. *Kaulfussia amelloides.*

### *Descriptio.*

Caulis a basi ramosissimus, circiter pedalis, ramis diffusis tortuosis teretibus punctato-scabris pilisque rigidis patentibus hispidis. Folia alterna, sessilia, patentia, lanceolato-spathulata, mucronulata, minutissime remote denticulata, carinata, utrinque hirta, rigidula. Flores terminales, longe pedunculati, cernui, specie et magnitudine florum *Cinerariae amelloidis.* Pedunculus teres, glandulis sessilibus pilisque patentibus inspersus, superne nudus, inferne foliolis aliquot lanceolatis minoribus praeditus. Calyx hirsutus. Radius coeruleus. Discus saturate violaceus.




*Kaulfussia amelloides.*

Prof. F. Guimpel ad nat. pinx. et sculp.

# MUSCI FRONDOSI EXOTICI
## HERBARII WILLDENOWIANI

TUM CAPENSES A B. BERGIO LECTI TUM ALII QUIDAM EX AUSTRALASIAE ALIISQUE ORBIS TERRAQUEI PLAGIS A L. A CHAMISSONE RELATI.

DESCRIPSIT

ET

ICONIBUS NOVARUM MAXIMEQUE MEMORABILIUM SPECIERUM

ILLUSTRAVIT

**FRIDERICUS HORNSCHUCH**

BOTANICES DEMONSTRATOR GRYPHICUS.

Cum tabulis aeneis II.

## *Phascum.*

*Phascum* splachnoides: caule brevi subsimplici, foliis ovatis cuspidatis concavis, capsula oblonga apophysata.

*Descriptio.*

Plantula pusilla. Caulis erectus, brevis, ramosus, foliosus, basi radiculosus. Folia ovata, cuspidata, integerrima, concava, marginata, imbricata; nervo crasso apicem attingente; retis areolae laxae, subsexangulares. Folia perichaetialia ligulata, foliis caulinis duplo maiora, reticuli areolis laxioribus. Vaginula conica, fusca, paraphysibus residuis destructis vestita. Pedunculus erectus, 1–1½ lineas longus, semper apicem supremi folii evidenter superans, lutescens. Capsula oblongo-cylindrica, laevis, fusco-brunnea; apophysi brevi solida virescente paullo angustiore praedita. Operculum parvum, conicum, obliquum, persistens. Calyptra dimidiata, subulata, straminea, apicem versus nigrescens.

Habitat in *Capite bonae spei* prope *de Kankerbay*. Mense Julio fructibus maturis b. *Bergius* legit.

Differt a *Phasco bryoide* Diks. statura minori, foliis ovatis cuspidatis, capsula apophysata, et a *Phasco recto* Diks. caule ramoso, foliis ovatis imbricatis, capsula oblongo-cylindrica, apophysata.

Explicatio iconum Tabulae XII.

Fig. 1) Caespes plantulae magnitudine naturali.
— 2) Surculus singulus, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.

### *Splachnum.*

*Splachnum* Adamsianum: foliis lanceolatis acuminatis integerrimis, nervo infra apicem evanescente, capsula elliptica, apophysi ovata capsula dimidia breviore.

*Descriptio.*

Crescit caespitibus compactis aliis muscis frondosis et Jungermanniis intermixtis. Caules subsimplices, erecti, basi radiculosi, 4–6 lineas longi, foliosi. Folia inferiora laxa, minora, angustiora, brevius acuminata, nervo subexcurrente; superiora maiora, oblongo-lanceolata, longius acuminata, laxe imbricata, nervo infra apicem evanescente, ut folia inferiora integerrima. Flores dioici terminales, masculi disciformes; folia perigonialia exteriora angustiora et minora, quam caulina, integerrima, basi ferruginea, nervo in apicem excurrente; interiora minuta, ovata, enervia, tota ferruginea. Antherae copiosae, circiter viginti, oblongae, truncatae, pleraeque incurvae, ante evacuationem flavescentes, qua peracta hyalinae; filamenta brevissima. Paraphyses clavatae, articulatae, ferrugineae. Folia perichaetialia maxima, concava, longissime acuminata, foliis caulinis conformia. Vaginula adnata, oblonga, pallescens, apice rufa, adhaerentibus pistillis 6–8 emarcidis. Pistillum germine sanguineo. Pedunculus 8–12 lineas longus, erectus, laevis, iuvenilis fulvus, vetustus brunneus, apice incrassatus. Capsula elliptica, ore contracta, brunnea; apophysis ovata, capsula dimidia brevior, flavescens. Dentes peristomii octo, geminati, lanceolati, rufi, humiditate erecti, siccitate reflexi. Operculum minutum, hemisphaericum, umbilicatum, pallens. Calyptra non visa.

Patria *Caucasi* iugum videtur, nam exemplaria nostra in Herbario b. Willdenowii invenimus, solo nomine *Adams* cartulae inscripto, quem per *Caucasum* itinera botanica instituisse constat.

Explicatio iconum Tabulae XII.


Fig. 1) Caespes magnitudine naturali.
— 2) Surculus singulus, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.
— 5) Capsula cum apophysi et operculo, aucta magnitudine.
— 6) Peristomium, aucta magnitudine.



*Phascum splachnoides.*



*Splachnum Adamsianum.*



*Weissia Bergiana.*



*Schlotheimia pulchella.*



*Cynodon proscriptus.*



*Schlotheimia stellulata.*

I. Sturm pinx. et sc.

## *Weissia.*

*Weissia* Bergiana: *) Caule simplici brevissimo, foliis ligulatis acuminatis patulis, nervo subdimidio, capsulae pyriformis erectae operculo hemisphaerico.

*Descriptio.*

Caulis brevissimus, erectus, simplex. Folia 6-8, in rosulam congesta, patentia, ligulata, acuminata, subcrenulata seu retis areolis marginalibus laxe prominentibus circumscripta, tenerrima, pellucida, pallide viridia. Nervus crassus, rufus, supra medium folium desinens. Retis laxissimi areolae basi elongatae, apice subquadratae. Folia perichaetialia caulinis similia. Vaginula conica, adnata, brunnea, apice fusca. Pedunculus 4-6 lineas longus, erectus, laevis, siccitate aliquantum flexuosus, inferne purpurascens, superne flavescens. Capsula pyriformis, erecta, laevis, e lutescente brunnea. Peristomium simplici ordine dentatum; dentes sedecim conniventes, solidi, lanceolato-subulati, trabeculati, ad trabeculas coarctati, ferruginei. Operculum hemisphaericum, obtusum, brunneum. Calyptra campanulato-subulata, latere fissa, ore amplissimo, nitida, straminea, apice nigrescens.

Habitat ad terram Montis Leonis *Capitis bonae spei*, ubi b. *Bergius* d. 15. Sept. 1816 cum capsulis maturis legit.

Similitudo quaedam, praesertim quoad capsulae formam, huic cum *Weissia Mielichhoferi* Funk. (*Bot. Zeitung* 1819 p. 86. Hooker Musc. exot. tab. 101.) intercedit; sed longe differt caule humili simplici et foliorum forma atque directione.

Explicatio iconum Tabulae XII.

Fig. 1) Planta magnitudine naturali.
— 2) Eadem planta, aucta magnitudine.
— 3) Folium, aucta magnitudine.
— 4) Capsula cum peristomio, aucta magnitudine.
— 5) Operculum, aucta magnitudine.
— 6) Calyptra, aucta magnitudine.

---

*) Carolus Henricus Bergius, Pharmacopola, qui Capitis bonae spei plantas acutissimo oculo ingenioque investigavit, exploravit, illustravit, praematura morte abreptus, diem obiit Mense Januario anni currentis, amicis nunquam pro meritis deplorandus. Conferatur: *Sprengel, Schrader et Link Jahrbücher der Gewächskunde,* Fasc. II. p. 167.

## *Cynodon.*

*Cynodon* proscriptus: caule simplici, foliis e basi dilatata capillaceis rigidis subsecundis, capsula oblonga erecta, operculo e basi conica rostrato.

*Descriptio.*

Caules erecti, dense caespitosi, 8–12 lineas longi, simplices, graciles, rigidi. Folia e basi repente dilatata subquadrata capillacea, longa, rigida, subsecunda, integerrima; inferiora breviora, strictiora magisque secunda, nigricantia; superiora magis sparsa et inordinate patentia, luteo-viridia. Retis areolae elongatae, laxae; nervus crassus, laxus, vix distinguendus, excurrens. Flores dioici, terminales: masculi capituliformes. Folia perigonialia inferiora, seu exteriora, minora et brevius subulata, quam folia caulina, basi ampla convoluta totum capitulum amplectentia, reticuli areolis elongatis; nervus laxus, indistinctus: superiora, seu interiora, minutissima, ovata, acuta, enervia, ferruginea. Antherae plures (15–20), lanceolatae, acutae, parumper incurvatae, filamento brevissimo suffultae, hyalinae, effoetae lutescentes. Paraphyses subulatae, 6-articulatae, geniculis remotis, lutescentes, plures singulo filamento adnatae. Folia perichaetialia longissima, basi latiore convoluta, caeterum caulinis conformia. Pistilla 3–4: germen oblongum, brunneo-viride; stylus germine duplo longior, basi fuscus, apice hyalinus; stigma paullo dilatatum. Vaginula cylindrica, laevis, ferruginea, apice fusca. Pedunculus 3–4 lineas longus, siccitate erectus, humidus arcuatus, laevis, stramineus. Capsula obovato-elliptica, laevis, luteobrunnea. Peristomium: dentes triginta duo, per paria approximati, lanceolato-subulati, erecti, basi fusci, apice pallidi. Operculum e basi conica rostellatum, obliquum, capsulae longitudine, pallide-brunneum. Calyptra campanulata, integra, margine nuda, straminea, apice fusca.

Patria *Insula St. Helenae*, fide Herbarii Willdenowiani. Qui primus hunc muscum invenerit, in isto Herbario non citatur.

### Explicatio iconum Tabulae XII.

Fig. 1) Caespes, magnitudine naturali.
— 2) Planta separata, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.
— 5) Capsula cum pedunculo et operculo, aucta magnitudine.
— 6) Eadem, operculo deiecto, aucta magnitudine.
b*) Pars peristomii, magnitudine magis aucta.

### *Schlotheimia.*

1) *Schlotheimia* stellulata: caule repente pinnato-ramoso, ramulis erectis brevissimis apice stellulatis, foliis lineari-ligulatis obtusis brevissime mucronatis, capsula oblonga sulcata, operculo conico-subulato.

*Descriptio.*

Caules repentes, pinnato-ramosissimi, radiculoso-tomentosi, 2–3 uncias longi. Ramuli brevissimi, conferti, erecti, apice stellulati. Folia lineari-ligulata, obtusa, plana, integerrima, brevissime mucronata, flavo-viridia, nervo solido in mucronulam excurrente, reticuli areolis circularibus in lineas parallelas dispositis minutissimis. Folia perichaetialia inferiora, seu exteriora, lanceolata, longius mucronata; superiora, seu interiora, minuta, ovalia, utrinque rotundata, nervo crasso excurrente cuspidata, tenera, hyalina. Vaginula adnata, oblonga, pallescens, apice fusca, pistillis 6–8 abortivis purpurascenti-fuscis et paraphysibus quamplurimis tenerrimis filiformibus articulatis albidis vestita. Pedunculus erectus, brevis, duas circiter lineas longus, laevis, basi sanguineus, apicem versus pallescens. Capsula obovata, infra os dilatatum paullulum constricta, sulcata, brunnea. Peristomium in nostris deest. Operculum iuvenile conico-subulatum, obtusum, capsulae concolor. Calyptra campanulata, sulcata, glabra, margine incisa, ferruginea, nitida.

Descripsimus ad specimina sicca, in Herbario Willdenowiano asservata. Patria: sylvae ad *Orinoci* fluminis ripas.

Explicatio iconum Tabulae XII.

Fig. 1) Planta magnitudine naturali.
— 2) Ramulus, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.
— 5) Capsula, aucta magnitudine.
— 6) Calyptra, aucta magnitudine.

2) *Schlotheimia* pulchella: repens, ramis compositis fastigiatis, foliis patulis elliptico-lanceolatis integerrimis, capsula apophysata oblonga, operculo conico-rostellato.

*Descriptio.*

Caules repentes, ramosi; ramuli fastigiati, erecti, breves, foliosi. Folia copiosissima, in apicibus ramulorum capituli in formam conferta, patentia, elliptico-lanceolata, integerrima, luteo-viridia, nervo crasso infra apicem evanescente saepe proxime ad apicem excurrente, reticuli areolis minutis subcircularibus seriatis copiosissimis basi laxioribus. Flores dioici: masculos non vidi; foeminei terminales. Folia perichaetialia caulinis similia, sed paulo minora et teneriora. Pistilla 8–12; germen oblongum, fuscum; stylus ferrugineus, ger-

mine duplo longior; stigma dilatatum, subbifidum. Paraphyses plurimae, 3–5 pistilli basi adhaerentes, filiformes, pallescentes, 12–articulatae. Vaginula conica, fusca, paraphysibus exsiccatis stipata. Pedunculus terminalis vel per caulis innovationem lateralis, erectus, laevis, inferne purpureus, superne lutescens, infra capsulam in apophysin dilatatus. Capsula oblonga, sulcata, brunnea. Peristomium capsulae, ad plenam maturitatem nondum pervectae, e dentibus inaequaliter laciniatis inter sese cohaerentibus. Operculum conicum, obtusum, obliquum, capsulae concolor. Calyptra longitudine dimidiae capsulae, striata, glabra, straminea, apice fusca, a margine ad mediam altitudinem in lacinias angustas laceras fissa.

Habitat in *Proteae conocarpae* cortice Montis Tabularis *Capitis bonae spei.* Fructus Mense Octobri maturescunt. *Bergius.*

Explicatio iconum Tabulae XII.

Fig. 1) Planta magnitudine naturali.
— 2) Ramulus cum capsula operculo et calyptra, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Operculum, aucta magnitudine.
— 5) Calyptra, aucta magnitudine.

## *Bartramia.*

1) *Bartramia* sericea: caule ramoso innovante, foliis subsecundis lanceolato-acuminatis serratis, capsulae globosae sulcatae ore coarctato.

*Descriptio.*

Caulis erectus, 6–10 lineas longus, radiculosus, ramosus; rami innovando fasciculati et caulis foliosi, ferruginei. Folia caulina secunda, lanceolato-acuminata, serrata, basi concava, margine revoluta, ferruginea; folia ramea angustiora, teneriora, magis secunda, pallide viridia, cuncta nervo crasso solido rufescente praedita; reticuli areolae lineares. Flores hermaphroditi, terminales, innovante caule laterales, magni, distincti, persistentes. Folia perichaetialia inferiora, seu exteriora, basi magis dilatata, longiora, teneriora, quam caulina; superiora, seu interiora, duplo minora, lanceolata, subserrulata, ferruginea; retis areolae laxiores, nervo infra apicem subevanescente. Antherae circiter 6, maximae, oblongae, truncatae, reticulatae, flavescentes, filamento brevissimo suffultae; reticuli areolae rectangulae, laxae. Pistilla 6–8: germen oblongum, fuscum; stylus filiformis, ferugineus; stigma dilatatum, truncatum. Paraphyses paucae, filiformes, 2–5 singulo stamini vel pistillo coniunctae et cum iisdem basi connatae, 6-articulatae, lutescentes; genicula obscura. Vaginula oblonga, sulcata, fusca, pistillis destructis vestita. Pedunculus erectus, laevis, semiuncialis, purpurascens. Capsula globosa, aequalis, sulcata, brunnea, ore coarctato rufo. Peristomium, Operculum et Calyptra in exemplaribus nostris desunt.

Habitat in arborum cortice Montis Diaboli *Capitis bonae spei*, ubi b. *Bergius* Mense Novembri cum fructibus vetustis legit.

Explicatio iconum Tabulae XIII.

Fig. 1) Caespes magnitudine naturali.
— 2) Surculus singulus, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium perichaetiale exterius, aucta magnitudine.
— 5) Folium perichaetiale interius, aucta magnitudine.

2) *Bartramia* compacta: caule erecto fasciculato, foliis lanceolato-subulatis strictis serrulatis rigidis, capsula globosa aequali.

*Descriptio.*

Caulis 4–8 lineas longus, strictus, fasciculatus, dense foliosus, basi radiculis capillaceis vestitus. Folia lanceolato-subulata, apice serrulata, stricta, inferne cauli adpressa, fusco-brunnea, apice erecta, viridi-glauca; nervus crassus, in apicem excurrens; reticuli areolae parallelogrammae, densae. Flores hermaphroditi, terminales, per innovationes laterales, gemmiformes. Folia perichaetialia teneriora, basi hyalina, interiora duplo minora, foliis caulinis conformia; nervus laxus; reticuli areolae elongatae, laxiores, quam in foliis caulinis.

Antherae 4–6, oblongae, truncatae, subincurvae, reticulatae, flavescentes, filamento brevissimo suffultae. Pistilla 3–4: germen oblongo-cylindricum stylusque rufescens; stigma truncatum. Paraphyses plurimae filiformes, lutescentes, articulatae; articuli longi. Vaginula cylindrica, brunnea. Pedunculus plerumque terminalis, saepe per innovationem lateralis, erectus, 3–4 lineas longus, laevis, purpurascens. Capsula globosa, laevis, aequalis, brunnea, ore coarctato. Peristomii externi nulla vidimus vestigia, internum e membrana tenuissima hyalina irregulariter lacera constat. Operculum conico-hemisphaericum, rufo-brunneum. Calyptram non vidi.

Habitat in arborum cortice Montis Leonis *Capitis bonae spei*. *Bergius*.

Differt a *Bartramia ithyphylla* Brid. foliis lanceolato-subulatis strictis, capsula laevi, peristomio externo nullo; a *Bartramia stricta* Brid. statura minore, foliis lanceolato-subulatis, pedunculo et capsula laevibus et structura peristomii interni.

Explicatio iconum Tabulae XIII.

Fig. 1) Caespes magnitudine naturali.
— 2) Planta separata, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium rameum, aucta magnitudine.
— 5) Capsula cum operculo, aucta magnitudine.

Tab. XIII.



*Bartramia sericea.*



*Bartramia compacta.*



*Chaetophora incurva*



*Hypnum Chamissonis.*



*Polytrichum campanulatum.*



*Polytrichum furcatum.*

I. Sturm pinx. d. s.

## *Chaetophora* Brid.

*Chaetophora* incurva: pedunculo glabro.

*Descriptio.*

Caules procumbentes, per interstitia radiculosi, fuscescentes, distiche ramosi; rami inaequales, simplices vel subfasciculatim ramosi, apice incurvi. Folia distiche duplicato-imbricata, ovata, acinaciformia, oblique cuspidata, margine praesertim apicem versus inaequaliter argute serrata, binervia, nervis inaequalibus divergentibus ultra-mediis; retis areolae inordinatae, laxae maximeque inaequales. Color foliorum inferiorum fusco-purpurascens, superiorum luteovirens. Flores ex caule ramorumque basi laterales. Perichaetium laxum. Folia perichaetialia 8–10; exteriora ovata, obtusiuscula; interiora ovato-lanceolata lanceolatave, acuta; haec atque illa minus distincte obiterque serrata, at cuncta binervia, pellucida, retis areolis amplis rhomboidalibus. Pedunculus uncialis fere, laevis, siccitate tortus, fulvus, basin versus fuscescens. Capsula rufa, e pedunculo apice arcuato cernua, ovato-oblonga, sub ore constricta, laevis. Operculum e basi conica subulatum, rectiusculum, fulvum, longitudine dimidiae capsulae. Peristomium duplex: exterius e dentibus sedecim incurvis lanceolatis linea media pellucida notatis basique membranae interioris adglutinatis; interius membrana fulva, plicata, in dentes sedecim carinatos lanceolato-lineares longitudine dentium peristomii exterioris partita. Vaginula crassa, cylindrica, rufa, foliis perichaetialibus adnatis tecta, a pedunculo solvenda. Calyptra mitraeformis, subulata, substriata, setulis sparsis erectis brevibus pellucidis exasperata.

Habitat in regno *Chilensi* ad truncos arborum, detecta ab Adalberto a Chamisso.

### Explicatio iconum Tabulae XIII.

Fig. 1) Planta magnitudine naturali cum capsula immatura.
— 2) Specimen aliud magnitudine naturali cum capsulis maturis.
— 3) Perichaetium cum basi pedunculi, aucta magnitudine.
— 4 et 5) Folia caulina, aucta magnitudine.
— 6) Capsula cum peristomio, aucta magnitudine.
— 7) Calyptra, aucta magnitudine.

## *Hypnum.*

SUBDIVISIO: Cupressiformia Brid.

*Hypnum* Chamissonis: repens, pinnatum, foliis circinatis ovato-acuminatis falcatis serrulatis, capsula exigua urceolata cernua, operculo brevirostri obliquo.

*Descriptio.*

Caulis repens, pinnatus, 1–2 lineas longus, per interstitia radiculosus, rufescens vel pallide viridis, ramosus; rami inaequales, simplices vel subfasciculatim ramosi, apice incurvi. Folia subdisticha, imbricata, ovato-lanceolata, acuminata, circinata, apice serrulata, enervia, concava, pallide viridia; retis areolae laxae, parallelogrammae. Flores axillares. Folia perichaetialia exteriora duplo longiora, quam caulina, erecta, adpressa, lanceolata, longissime acuminata, subintegerrima, retis areolis laxioribus; — interiora minuta, lineari-lanceolata, caeterum exterioribus conformia. Vaginula crassa, cylindrica, virescens, foliis perichaetialibus interioribus adnatis tecta, a pedunculo solvenda. Pedunculus 4–5 lineas longus, laevis, siccitate tortus, basi purpurascens, apicem versus pallidior. Capsula brunnea, e pedunculo apice arcuato cernua, interdum fere pendula, perexigua, sub ore valde constricta, indeque urceolata, laevis, fusca. Peristomium duplex: exterius e dentibus sedecim incurvis lanceolatis solidis trabeculatis flavescentibus; interius membrana flavicans, subhyalina, in dentes sedecim lanceolato-subulatos longitudine dentium peristomii exterioris, ciliis capillaribus interiectis, divisa. Operculum hemisphaericum, brevirostre, rostello subulato obliquo obtuso capsulae concolore. Calyptram non vidi.

Habitat in Insula *Radack*, ubi A. a Chamisso, vir amicissimus, in itinere circa terram legit.

Differt ab *Hypno amoeno* Hedw. statura duplo minore, habitu graciliore pinnato, foliis serrulatis falcatis confertioribus, setis brevioribus.

Explicatio iconum Tabulae XIII.

Fig. 1) Surculus singularis cum capsulis magnitudine naturali.
— 2) Ramus, aucta magnitudine.
— 3) Folium caulinum, aucta magnitudine.
— 4) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.
— 5) Capsula cum peristomio, aucta magnitudine.

*Polytrichum.*

SUBDIVISIO b) Yuccaefolia s. foliis serratis Brid.

1) *Polytrichum* campanulatum: caule ramoso, fastigiato, foliis e basi lata amplexicauli lineari-lanceolatis argute serratis erecto-patentibus, capsulae cernuae apophysatae operculo conico-subulato obliquo.

*Descriptio.*

Caulis ascendens, 1–1 1/2 uncias longus, basi simplex, nudus, apice fastigiato-ramosus, dense foliosus. Folia e basi dilatata membranacea rufescente concava lineari-lanceolata, brevia, rigida, humida erecto-patentia, sicca adpressa, non tortilia, margine membranacea, argute serrata; superiora fusco-virescentia, inferiora atro-fusca, nitida, solida, nervo vix discernendo opaco. Folia perichaetialia maiora, a basi ad medium dilatata, membranacea, concava, acuta. Vaginula cylindrica, membranacea, brunnea, laevis, a pedunculo solvenda. Pedunculus in ramis terminalis, crassus, 8–12 lineas longus, laevis, luteo-brunneus, siccitate plerumque tortus. Capsula ovata, ore coarctata, obliqua, laevis, rufo-brunnea, apophysata, apophysi subglobosa capsula angustiore. Operculum e basi hemisphaerica rostellatum, rostello obliquo. Calyptra villoso-tomentosa, campanulata, fulva, apicula obliqua fuscescente.

Habitat in *Unalaschka* Insula. A. a Chamisso.

Conferatur *Polytrichum ambiguum* Rich. Fl. Am. bor. Mich. v. 11. p. 293, — a me non visam.

Explicatio iconum Tabulae XIII.

Fig. 1) Planta cum calyptra magnitudine naturali.
— 2) Planta sine calyptra magnitudine naturali.
— 3) Folium caulinum inferius, aucta magnitudine.
— 4) Folium caulinum superius, aucta magnitudine.
— 5) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.
— 6) Capsula, aucta magnitudine.
— 7) Operculum, aucta magnitudine.

2) *Polytrichum* furcatum: caule fastigiato ramosissimo, foliis e basi dilatata lineari-lanceolatis argute serratis recurvo-patulis! capsula ovata cernua obsolete apophysata.

*Descriptio.*

Caulis erectus, 2–3 uncias longus, inferne simplex, superne utplurimum dichotomo-ramosus; rami foliosi, fastigiati, steriles apice incurvi. Folia longa, recurvo-patula, basi dilatata membranacea, lineari-lanceolata, margine membranaceo-alba, argute serrata, serraturis nudo oculo conspicuis, — siccitate laxe patula, nonnulla apice recurva, non tortilia; inferiora fusca, superiora fusco-viridia. Folia perichaetialia maiora, a basi ad medium dilatata, concava, subconvoluta, membranacea. Pedunculi terminales, innovando laterales, subaggregati, 10–14

lineas longi, laeves, fulvi, aetate infuscati. Vaginula solida, cylindrica, pedunculo adnata, brunnea. Capsula ovata, aequalis, cernua, laevis, fusca, apophysata; apophysis minuta, subglobosa, capsulae adnata eidemque concolor. Operculum in nostris deest. Calyptra capsula longior, villosa, conico-subulata, angusta, fulva.

Patria: ad sinum *Schismareff* in nuda terra. Detexit a Chamisso, amicus dulcissimus.

Explicatio iconum Tabulae XIII.

Fig. 1) Planta magnitudine naturali.

— 2) Folium caulinum, aucta magnitudine.

— 3) Folium perichaetiale, aucta magnitudine.

— 4) Capsula cum apophysi, aucta magnitudine.

# EX PLANTIS

IN

# EXPEDITIONE ROMANZOFFIANA

DETECTIS

GENERA TRIA NOVA

OFFERT

ADALBERTUS DE CHAMISSO

PH. D. SOC. NAT. CUR. BER. ET NAT. SCR. MOSCOV. SODAL. cet.

Cum tabulis aeneis III.

# I.

## *Romanzoffia.*

Pentandria monogynia. Ordo naturalis . . . . ?

Character essentialis. Calyx quinquefidus, inferus, persistens. Corolla hypocrateriformis, decidua. Filamenta imo tubo inserta. Stigma simplex. Capsula ovata, obtusa, bivalvis, bilocularis, dissepimento valvulis contrario, polysperma.

Fructificatio. Calyx inferus, persistens, quinquefidus, laciniis lanceolatis obtusiusculis erectis nervo prominente notatis, aestivatione imbricatis. Corolla monopetala, decidua, hypocrateriformis, calyce longior, limbo quinquelobo, lobis aequalibus rotundatis obtusis. Stamina quinque, tubo breviora, filamentis capillaribus imo tubo insertis. Antherae lineares, biloculares, incumbentes. Stylus unicus, filiformis, tubo brevior. Stigma simplex, capitatum. Capsula supera, ovata, obtusa, stylo persistente mucronata, bivalvis, bilocularis, dissepimento valvulis contrario; dehiscentia loculicida, seu revera quadrivalvis, valvulis altero margine inflexo dissepimentum, sulco externo notatum, altero reflexo carinulam externam efficientibus. Trophospermia quatuor, linearia, bina in utroque latere dissepimenti longitudinaliter secus axin disposita. Semina numerosa, minuta, arcte congesta, irregulariter angulata, reticulato-scrobiculata, brunnea, altero fine acutiuscula, hilo oblique apiculata, albuminosa. Testa membranacea, arcte adhaerens. Albumen cartilagineum, pallide brunneum. Embryo in axi seminis, hilo propior, rectus, cylindricus, erectus.

Vegetatio. Herba tri-sexpollicaris, perennis, alternifolia, carnosiuscula, pilis patentibus obsita. Radix praemorsa, fibrosa. Caules plures, erecti, simplices, ramo uno alterove stricto instructi. Folia radicalia subrotundo-reniformia, cordata, tum multiloba, tum grosse crenata, lobis, seu crenis, ovatis plerumque acutis, longe petiolata, petiolis canaliculatis basi dilatatis incrassatis squamatim caules ambientibus; caulina pauca, radicalibus similia, minora, brevius petiolata, ramos suffultientia et solitaria. Flores albidi, venis notati, ebracteati, alterni, pedunculati, erecti, stricti, racemosi, racemo secundo, sub anthesi apice revoluto, fructifero stricto elongato.

O b s e r v a t i o. Genus adhuc dubiae affinitatis, inter *Primulaceas, Saxifrageas*, *Gentianeas* et *Droseraceas*, a *Capparideis* forte amandandas, ambiguum. Inflorescentia spiralis *Droserae*; corolla *Primulae*; fructus *Swertiae* et affinium, *Drosophylli*, *Sauvagesiae* etc.; situs embryonis *Roridulae*, *Saxifragearum Gentianearumque*; species omnis *Saxifragae.*

N o m e n. Scientiarum artiumque bonarum omnium FAUTORI in *Rossia*, patria, pio atque munifico hoc ab illo acceptum genus sacrum esse *Flora Rossica* iubet.

*Romanzoffia* unalaschcensis.

Habitat in vallibus infimis insulae *Unalaschcae*, e rupium fissuris humidis propullulans, eminus speciem mentiens *Saxifragae.* Nunc, semine adlato, in hortis nostris colenda.

Explicatio iconum Tabulae XIV.

a. Planta magnitudine naturali.
b. Corolla aperta, aucta magnitudine.
c. Stamen, aucta magnitudine.
d. Calyx, aucta magnitudine.
e. Fructus maturus cum calice, aucta magnitudine.
f. Idem, transversim dissectus, magnitudine aucta.
g. Semen magnitudine naturali.
h. Idem, dissectum, aucta magnitudine.




*Romanzoffia unalaschcensis. Ch.*

Prof. F. Guimpel. ad. nat. pinx. et sc:

# II.

## *Eschscholzia.*

Polyandria monogynia. Ordo naturalis: Papaveraceae Jussieu.

Character essentialis. Receptaculum ampliatum, hypocrateriforme, limbo expanso integro. Calyx mitraeformis, caducus. Corolla tetrapetala, petalis unguibus fauci receptaculi insertis staminiferis.

Fructificatio. Receptaculum ampliatum, hypocrateriforme, limbo expanso integro, fauce membrana scariosa cincta et semiclausa. Calyx mitraeformis, integer, caducus. Corolla papaveracea, tetrapetala. Petala unguibus fauci receptaculi insertis staminiferis. Stamina 30–40, perigyna, filamentis brevibus planis basi dilatatis. Antherae oblongae, filamentis intus adnatae, biloculares. Germen in fundo receptaculi absconditum. Stylus tumidus, parvulus. Stigmata quatuor, filiformia, exserta, duobus saepius abortivis. Fructus siliqua, e receptaculo persistente et paululum aucto excreta, stylo stigmatibusque persistentibus coronata, teres, profunde decemstriata, unilocularis, bivalvis, matura decidua, a basi elastice dehiscens. Semina numerosa, globosa, fusca, corrugata, marginibus valvularum affixa. Semen (Papaveracearum) albuminosum. Testa coriacea, crassa, fusca, plicis membranaceis exasperata, hilo obliterato. Tunica interna albumini adnata. Albumen globosum, pallidum, ceraceum, integrum. Embryo excentricus, parvus, cordatus. Radicula hilo obversa, conica, obtusa. Plumulae rudimentum inter Cotyledones rotundatas papillaeforme, bifidum.

Vegetatio. Herba perennis, glaberrima, glaucescens, paululum succosa, succo in radice fulvescente. Radix fusiformis, valida, crassa, saepius multiceps, collo reliquiis petiolorum marcidorum imbricatim vestito. Caules plures, pedales, decumbentes, striati, ramosi, foliosi; a cuiusvis petioli dorso iugum ad inferioris basin excurrens. Folia radicalia conferta, longe petiolata, pennatisecta, multipartita, lobis linearibus obtusis; caulina alterna, interdum quasi opposita, petiolata; inferiora radicalibus simillima; summa paulo simpliciora, trisecta, segmentis pinnatisectis. Petioli foliis paulo longiores, carinati, basi dilatati, semiamplexicaules, subvaginantes. Ad ramorum pedunculorumve basin folia saepius connata seu approximata. Rami axillares. Pedunculi oppositifolii, nunquam vero terminales, ramo terminali debili semper accedente, solitarii, elongati, cylindrici, striati. Flores spectabiles, magnitudine atque colore variabiles, pollicares, bipollicares maioresve, flavi, fulvi. Siliquae validae, subarcuatae, bipollicares et tripollicares.

Observatio. Genus *Glaucio* proximum, eximium structura receptaculi atque insertione staminum. Stamina *Nymphaeae.*

Nomen in honorem dixi consortis omnium laborum in itinere solertis-

tissimi, doctissimi, amicissimi, ESCHSCHOLZII, Medicinae Doctoris, Botanicae aeque ac Entomologiae peritissimi.

*Eschscholzia* californica.

Habitat in arenis sterilibus siccis ad portum *Sancti Francisci Californiae*. Nunc, semine adlato, in hortis nostris, favente coelo, hospitabitur.

Explicatio iconum Tabulae XV.

a. Planta magnitudine naturali.

b. Calyx calyptraeformis magnitudine naturali.

c. Petalum cum staminibus magnitudine naturali.

d. Stamen magnitudine naturali.

e. Fructus magnitudine naturali.

f. Semen, dissectum, magnitudine naturali.

Tab. XV.




*Eschholzia californica. Ch.*

Prof. F. Guimpel ad nat. pinx. et sculp.

# III.

## *Euxenia.*

Syngenesia aequalis. Ordo naturalis: *Corymbiferae Iussieu. Compositae Eupatorinae Sprengel.*

Character essentialis. Involucrum monophyllum, decemfidum, reflexum, laciniis duabus maioribus. Antherae liberae. Pappus nullus. Receptaculum paleaceum.

Fructificatio. Calathidium hemisphaericum, multiflorum, densum. Involucrum monophyllum, compressum, decemfidum, reflexum, scabrum, laciniis quaternis oppositis brevioribus ovatis acutis dentatis, duabus oblongis integerrimis duplo longioribus. Receptaculum hemisphaericum, paleaceum, paleis spathulatis complicatis deciduis apice virescentibus longitudine florum. Flores hermaphroditi, campanulati, extus basin versus pubescentes, quadri-quinquefidi, laciniis brevibus ovatis acutis reflexis. Stamina quatuor-quinque, tubo breviora, filamentis brevibus tubo insertis. Antherae liberae, erectae, lineares, acutae, fuscae. Germen inferum, cuneiforme, pubescens. Stylus corolla paulo longior, crassiusculus. Stigma bifidum, obtusum, laciniis divergentibus. Pappus nullus. Fructus: Achenium tetragonum, saepius irregulare, angulis ad apicem excurrentibus quadricolle, cinereum, glabrum, apice scabrum, areola apicali fossa circulari circumcincta, basali punctiformi non distincta.

Vegetatio. Frutex ramosissimus, sex et octopedalis. Rami oppositi, erecto-patentes, teretes, nodosi, nodis paululum incrassatis, cortice fusco scabro. Folia opposita, patentia, breviter petiolata, ovato-deltoidea, acuta, remote inaequaliter serrata, apice integerrima, utrinque scabra, subtriplinervia, seu costa supra basin utrinque nervum arcuatum divisum atque apicem folii directione petentem emittente; inferiora minora, vix pollicaria, superiora sesquipollicaria, bipollicaria, amoene luteo-viridia, nitidula. Petioli connati, canaliculati, ciliati, folio multo breviores. Flores in apice ramorum pedunculati, flavi; pedunculus uncialis, biuncialis, teres, nudus, scaber.

Observatio. Genus proxime affine *Tetragonothecae*, antheris liberis insigne.

Nomen. De nomine consule praefationem.

Synonyma. Ogiera triplinervis H. Cassini. *Bull. de la Soc. philom.* à Paris. Fevr. 1818. p. 32.

*Euxenia* grata.

Habitat in rupestribus apricis prope *Talcaguano Regni* Chilensis. E semine misso culta, primum in horto botanico Berolinensi floruit mense Aprili 1819.

## Explicatio iconum Tabulae XVI.

Plantae pars superior magnitudine naturali.

a. Flos, a latere visus, magnitudine naturali.

b. Flosculus cum palea magnitudine naturali.

c. Idem magnitudine aucta.

d. Idem, a latere dissectus, magnitudine aucta.

e. Palea magnitudine naturali.

f. et g. Palea, a latere et fronte, aucta magnitudine.

h. Semen magnitudine naturali.

i. Idem magnitudine aucta.

k et l. Semen cum flosculo residuo magnitudine naturali et aucta.




J. Guimpel ad. nat. pinx.

Euxenia grata Ch.

# F U N G O S

A

VIRO CLARISSIMO

ADALBERTO DE CHAMISSO

PHILOS. DOCT. SOCIETATIS AMICORUM NAT. SCRUT. BEROLINENSIS ET NAT. SCRUT. MOSCOVIENSIS SODALI

SUB

AUSPICIIS ROMANZOFFIANIS

in itinere circa terrarum globum collectos

ENUMERAVIT

NOVOSQUE DESCRIPSIT ET PINXIT

Dr. C. G. EHRENBERG.

Cum Tabulis IV. aeneis pictis.

Flora, alii Tua sacra canant, quae pandis aperta;
Rosis et Cedro carmina longa parent;
At mea de parvis ludant cum numine fungis
Et Tibi sepositis atque adamabilibus.
Namque istas, ni fallor ego, Tu, Diva, tenellas
Ipsa foves formas, gaudiaque inde capis.
Non oculis multum, multum dant parvula cordi,
His aliquid forma, sentio, maius inest.

EHRENBERG.

Quo minor numerus virorum est, qui, orbem itineribus permensi, fungorum cognitioni aliquid lucri adtulerint, eo maiore gaudio afficimur, quod doctissimus nobisque amicissimus Vir, Adalbertus de Chamisso, hanc cognitionis humanae non vilem profecto aream cura sua non plane indignam habuit. Nobis contigit, ut ad describendas sedulo collectas formas eligeremur, ideoque id agere propositum fuit, ut, quae sedulo collecta sunt, a nobis eadem sedulo tractata esse dicantur. Enumerabimus vero hasce plantas eo modo, ut, quicquid in quavis terra lectum est, id sub uno titulo comprehendamus, eoque lucremur, quod geographiae mycologicae, olim conscribendae, subveniamus.

A. Brasilia, 29° lat. merid.

In Insula, quae a *Sancta Catharina* nomen habet, obviam fuerunt duodecim Fungi. Elegantissimam illorum et valde singularem formam, in novum Genus repositam, primo loco enumeramus.

I.

*Thamnomyces Chamissonis.*

Grata planta, quae in rupe quadam cum Begoniis viguit, ad sex pollices alta est, fruticem aemulatur et colore nigro-fusco omnis nitoris experte tincta est. Singuli caudices, qui numero ad triginta ex communi eaque dilatata basi emerserunt duas lineas crassi, sunt cylindrici, ramosi et mere dichotomi. Caudices ramique inferiores ab uno ad tres pollices longi sunt. Rami, quo sunt superiores, eo tenuiores evadunt brevioresque, formant vero caput fungi gratissimum. Interdum rami, qui dichotomi esse tendebant, crescere desiverunt, id quod non extinxit vim eorum vitalem, sed more monstroso hanc ita immutavit, ut ramulos multos, saepe simplices, ex ambitu suo verticillatim agerent. — Conferatur figura VI. cum I. Summos quosvis apices ramulorum quorumvis conficiunt noduli ovales (Sphaeriae) apice perforati (cum ostiolo) semina in utriculis (thecas) gerentes. Caudicum totiusque fungi materies est massa carbonacea, tanquam ex brevissimis fibris fragilibus formata. Fracta, nitorem bombycinum acquirit, aquae

immersa, non mollescit. Ad superos usque ramulos materies triplici colore et indole est, tum vero duplex esse incipit. Si dissecueris aut fregeris caudicem, videbis, extus positam esse et corticem referre massam aliquam nitidam obscure nigram; huic affinis est interior circulus idem niger, sed minus obscurus, nitoris expers; secundum circulum intimus tertius excipit ex massa fusca minus densa non minus rigida confectus, tanquam medulla fungi. Medius caudex cavus est usque ad ramos ultimos. — Conferatur figura III. — Postquam caudex per aliquod spatium cavus esse desiverat, cavus esse denuo incipit, Sphaeriam terminalem efformans. Huius parietes (Perithecium) ex sola medulla cum cortice formantur, ideoque referunt quidem perithecium Sphaeriarum, non sunt perithecium, quale in composita Sphaeria requiritur. — Conferatur figura II. — Ubiubi ramorum paria ex caudice proveniunt, paululum compressus est ille. Inter centenos vel mille summos apices nullum vidi Sphaeria terminali carentem.

Noduli fructiferi, ex mero hypothallo formati, ovorum speciem referunt. In parte eorum, quae, ex ovi forma acuta audit, aut parvum foramen aut certe punctum album conspicere licet, quod ostiolum indicat et subvillosum esse videtur, ab eiectis forte thecis.

Thecae vestiunt in eo statu fungi, quem nos novimus, ut tenue velamen album sphaerularum parietes internos. Desunt ascidia Nees ab E., desunt paraphyses, multis Sphaeriis propriae. Thecae sunt breves, cylindricae et continent corpora minima globosa, quae, centies aucta, distincte pellucida cernuntur. — Conferatur figura IV.

Characteres huius plantae hos fere Systemati addendos propono:

Char. generis: Pseudoperithecia (e stromate formata) subrotunda, a stromate frutescente suffulta. Caudices medii cavi. Thecae merae. Ostiola.

Char. speciei: Stromate rigido sphaeriis concolore fusco-nigro, caudicibus mere dichotomis teretibus ad sex pollices altis basi duas lineas crassis sensim gracilioribus, ramis apice crebrioribus brevioribus, sphaeriis ovalibus, (ostiolis albidis).

Splendidum hocce fungorum genus *Myelomycetibus Neesianis* addendum est, ibique inter Hysteria et Sphaerias collocandum, quamquam vim vitalem illorum ista multo anteriorem ostendat. Conferatur nota quarta. Caeterum in *Sphaeriarum Familiam* recipiendum erit.

Nomen *Thamnomycis*, quod vernaculo sermoni *Strauchpilz* audit, sive *Strauchschwamm*, a stromate mire frutescente depromtum est; nomen specificum a Viro mutuavi, qui mycologiae gratissimum hocce ornamentum adtulit.

*Adnotata quaedam.*

I. Quaesiverit aliquis: Num illud corpus vere fungi nomine compellandum est? Dixerim, quae sequuntur:

Tres hucusque constitutae sunt classes vegetabilium, quibus planta secundum

habitum suum et a primo visu adnumerari posset, sunt hae: *Lichenes*, *Fuci*, *Fungi.* Fucos aemulatur quidem forma, ab hac vero classe, si alia ulla, ob rigiditatem suam planta detinenda est. Sane tres omnes classes sese ita excipiunt, ut, quibus characteribus iure distrahantur, hucusque mihi nondum elucuerit. Id vero dicere nobis licet, adspirare hanc plantam ex fungorum regno ad fucorum formationem, esse eam tanquam fucum in aëre crescentem *(Lufttang).*

Forte associanda ei esset Rhizomorpha. Superest, ut diiudicemus, utrum *Fungus*, an *Lichen* planta iustius appelletur. Substantia rigida, carbonacea, aquam non bibens, neque cellulosa, quae ex fibris brevibus conficitur ex nitore bombycino fractarum partium cognoscendis, *Fungorum* naturam innuunt. Habitus Lichenis est. Fructus ratio utrique convenit. Iam substantia non mutabilis est, forma saepe mutatur, inde fit, ut, si quis iusta lance pendere velit similitudinem substantiarum et fructuum cum formarum fructuumque similitudine, magnum existere deberet momentum ex substantiae pondere, quod facile formam et Lichenem ad nubes usque protruderet. Ergo planta pro *Fungo* habenda erit.

II. Cum huius plantae sphaerulae perithecium proprium non habeant, stromate vero non destitutae sint (id, quod plantam a Sphaeriarum genere satis distinguit), stroma ipsum pro perithecio haberi potest, ideoque ludendo aliquis posset fungum pro Sphaeria monosticha aliqua ramosa habere, sive pro Sphaeria simplici gregaria, quarum perithecia confluxerint seseque, tanquam stroma, erexerint fruticisque formam induerint. Sphaeriae vero compositae omnes stromati immersae sunt et peculiaria perithecia habent; si qua igitur stroma eorum ad fruticis formam emergeret, non evanesceret perithecium, sed hoc simul sursum traheretur. Si quis hic, ubi perithecium peculiare non adest, quae sursum promota sunt cogitando reprimere velit, plantae habitus existeret Sphaeriis notissimus et vulgaris, qualem fere ostendunt Sphaeria deusta aut Sphaeria concentrica, maneret vero pertheciorum defectus, ideoque vel tum planta proprium posceret genus. Ut haec clarius eluceant, figuram V. delineavi. Media, eaque cava, caudicum pars in basi media subsideret, cingeretur ea et obtegeretur massa fusca, cui Sphaerulae immersae manerent, materiae duae nigrae corticem formarent, ex quo sphaeriarum ostiola prominerent.

Caeterum *Sphaerias monostichas* Persoonii, quae sunt monostichae, cum ipso (confer. nota) pro monstris habendas esse censeo, ex simplicibus aut compositis oriundis.

III. Sphaerias genuinas cum stromate cavo nemo hucusque vidit. *ab Albertini* et *a Schweinitz*, ubi de Sphaeria alutacea loquuntur, sequentia addunt: (Fungus) «num cavus? haud dixerimus; a vermibus enim intus erosus erat.» Hoc in nostro fungo locum habere, nemo concedet, qui fungum viderit.

IV. Porro adnotatu dignum est, quod in hoc fungo, ut apud perfectas plantas, eo, quod rami crescere desinunt, non extinguatur et perdatur vis productiva, sed haec ramulos complures verticillatim propellat, maiorum vicarios.

Forma, quam descripsimus, Sphaeriarum familiae non omnino inaudita est, neque dubitamus, praeter hanc speciem quatuor alios fungos huc conferre:

2. *Thamnomyces hippotrichoides.*

Syn. Hypoxylon loculiferum *Bulliard.* Tab. 195. fig. 1.

Sphaeria hippotrichoides *Sowerby.* Tab. 200.

3. *Thamnomyces setiformis?*

Syn. Chaenocarpus setiformis *Rebentisch.*

Rhizomorpha setiformis *Pers.*

Fructus dubii sunt.

4. *Thamnomyces capitatus* Link.

Forma, ab Inclyto auctore ex *Lusitania* allata.

Planta, quam *Dillenius* t. XIII. f. 11. delineavit, ad *Lichenes* potius pertinere videtur.

5. *Thamnomyces annulatus.*

Fusco-nigricans, intus concolor, cavus, stromate rigido in ramos abeunte, ramis simplicibus teretibus ultra quatuor pollices longis cylindricis vix lineam dimidiam crassis sub lente annulatis ubique sphaerulis sparsis globosis papillatis obsitis.

Misit Hornschuchius, amicus carissimus, ex India occidentali sibi adlatum.

Natura sua convenit cum Thamnomycete Chamissonis, habitu externo cum Thamnomycete hippotrichoide.

Figurae explicatae. Tab. XVII. Fig. I.

Fig. I est pars fungi magnitudine nativa. Aliae maiores fuerunt, haec fuit concinnior.
— II sunt capitula (Sphaeriae), lente forti aucta. Unum eorum medium dissectum est.
— III est pagina transversa caudicis alicuius fracti, per eandem lentem conspecta.
— IV sunt thecae et sporidia, centies aucta.
— V est forma ficta, ea, quam fungus susciperet, si, qui promoti sunt, caudices in basin retractos cogitamus, ut evolutio fungi eiusque dignitas clara reddatur.
— VI est caudex monstrosus.

Accedunt corpora duo, Sphaeriis similia, in cortice unius eiusdemque arboris, nobis ignotae, nata, quae etsi nova esse videantur, cum sint vetusta, ne augeremus inutilia mycologiae pondera, nominibus exornare noluimus. Fungos referunt, ex peregrinis terris allata sunt et aliquam formam quodammodo servarunt, ideo, quod paucis tangerentur, probabile visum est. Hos fere offerunt characteres:

II.

*Sphaeria?*

Cortici affixa sunt corpora multa, extus et intus nigra, disciformia, convexo-plana, vix lineam lata, rugosa, friabilia, subsolida, ostiolis seminibusque nullis.

*Adnotatio.*

Patellam Lecideae alicuius deformem aequant, thallo carentem; ideoque aut Pezizis, aut Sphaeriis (compositis = Pulvinariis), aut nescio cui alii generi, novo forsan, addicenda sunt. Neque thecas, neque sporidia, neque sphaerulas vidi. Humectata, quod non magni aestimaverim, paullo molliora evadunt; attamen pro Dothidea (Fries) aliqua fungus haberi non debet. Praeterea vereor equidem, ne istud non supervacaneum genus, nisi certioribus finibus circumscribatur, nigras quisquilias multas olim sibi colligat.

Altera forma haec est:

III.

*Sphaeria?*

Ex cortice emersa conspiciuntur corpora teretia, erecta, ultra lineam longa, in series fere disposita, nigra, Sphaeriae alicuius rostratae ostiola, aut Stilbi magni alicuius rigidique stipites simulantia. Sphaeriam suppositam equidem nunquam vidi.

IV.

*Campsotrichum unicolor* n. sp. Tab. XVII. Fig. II.

C. epiphyllum, atrum, caespitosum, sporidiis parvis atris.

*Descriptio.*

Acervuli inaequales, nigri, circiter duas lineas lati, parum elevati, in folii pagina inferiore nati. Fibrae nigrae, obscurae, rigidae, ramosae, erectae. Rami dichotomi, recurvi, flexuosi, patuli, longiusculi, capitulum formantes. Sporidia subovata, nigra, interdum inter ramos apicales in acervulos collecta, rara, pellucida.

Habitat in folio coriaceo ignotae alicuius arboris.

*Adnotatio.*

Nulla hucusque Byssorum species e peregrinis terris ad nos allata est, valde igitur gavisus sum, cum edocerer, neque illa corpuscula aliis deesse terris et fore olim, ut aliae quoque formae, bona materies et ornamenta Systemati futurae, ad nos afferantur. Id etiam gratissimum fuit, quod novum hocce corpus bene quadraret ad genus aliquod, de quo constituendo nuper disseruimus, *) quod tum vero ab una tantum forma conficiebatur. Nulla enim dubitatione impedior, quo minus credam, has duas formas esse coniungendas. Fibrarum forma, eadem utrique corpori, me cogit ad concludendum, speciem illam, quam prius inveni, aetate fuisse provectiorem et inde factum esse, ut fibrarum bases a loco natali secesserint. Sic perspicua est singularis illa forma, et specimina C. bicoloris, quae cum amicis fautoribusque harum rerum peritissimis communicavi, examinata, iudicium meum, quale nunc est, facilius comprobabunt.

---

*) Fungorum nova genera tria proposuit C. G. Ehrenberg. *Jahrbücher d. Gewächsk. v. Sprengel, Schrader und Link. 2. Heft.*

Generis characterem ita immutandum esse censeo:

*Fibrae* affixae, rectae, rigidae, opacae, ramosae; rami ramulosi, dichotomi, divaricati, recurvi. *Sporidia* ramis extremis adspersa (conglomerata?).

C. bicolor: sociale, effusum, atrum, sporidiis magnis fuscis.

Iconum explicatio.

A) Plantula magnitudine naturali folii particulae insidet.

B) Centies auctae fibrae cum sporidiis.

V.

*Hypochnus rubrocinctus* n. sp. Tab. XVII. Fig. III.

H. tomento limboque intense roseis, illo medio farina alba obtecto, demum globulis roseis albisque dense adsperso.

*Descriptio.*

Tomentum intense roseum, in margine lato nudum, medium farina alba obtectum est, in qua ipsa nidulantur globuli, alii rosei, alii albi; omnes vero ex sporidiis filamentisque brevibus constant, quae generis characterem praebent. Tomentum subtus tanquam in membranulam coalitum, laeve, appressum, interdum flavidum. Filamenta globulorum tenuia, brevia, subflexuosa, pellucida. Sporidia minima, globosa.

Habitat in cortice muscoso, truncis arborum, lignisque aliis.

*Observatio.*

*a*) Vidi in uno specimine particulam colore violaceo tinctam, vereor tamen, ne accessorius sit ille color. Interdum colorata avium excrementa tales maculas relinquunt, si forte in corpus aliquod delapsa sunt.

*b*) Non raro sequens species inter hanc serpit, ab ea tamen semper disiuncta.

Adnotatio.

Notandum est, quod hocce genus, a Clariss. *Fries* constitutum, iure suo locum in Systemate sibi vindicare videatur; verum nullo pacto cum auctore eius, de fungis meritissimo, Thelephoris hoc prope adposuerim, sed quam maxime ab illis remotum genus *Sporotrichorum* finibus addico. *) Hypochni sunt enim Sporotricha, Thelephoras mentientia, quod vice versa dici nequit, quoniam ascidia et thecae, **) Thelephoras constituentes, desunt. Alytosporia (Link) media sunt inter Sporotricha et Hypochnos.

*) Id, quod iam in Dissertatione nostra: *Sylvae mycologicae Berolinenses*, facto generum conspectu, elocuti sumus.

**) Lubenter assumo Neesianum loquendi modum de organis fructificationis, in ea sola re mea sententia paululum deflectit, quod ascos (ascidia) equidem pro rarissimis habeo, thecas pro vulgaribus, sporidia in simplicia et annulata divido cum *Linkio*. Thecae mihi sunt cum *Persoone*, qui tubuli sporidia continent. Ubi non tres ordines corporum video, distinctos ascos (ascidia) non agnosco.




I. *Thamnomyces Chamissonis.* II. *Campsotrichum atrum.*
III. *Hypochnus rubrocinctus.* IV. *Hypochnus nigrocinctus.*

Dr. C. G. Ehrenberg. pinx. Prof. F. Guimpel. sculp.

Iconum explicatio.

a) Fungus magnitudine naturali.
b) Vitro aucta pars marginalis.
c) Centies auctus globulus roseus.
d) — — — albus.
e) Sporidia globulorum globosa.

## VI.

*Hypochnus nigrocinctus* n. sp. Tab. XVII. Fig. IV.

H. tomento limboque nigris, pulvere albo medio globulis viridi-albis occupato.

*Descriptio.*

Tomentum ex griseo nigrum, subtus laeve, appressum, tanquam in membranam coalitum, ut in priori specie; pulvis medius albus, tenuis; globuli viridi-albi longiora filamenta fovent illis, quae in priori specie proveniunt. Sporidia minima, globosa.

Habitat cum H. rubrocincto in truncis et lignis muscosis.

Icones referunt:

a) H. nigrocincti magnitudinem naturalem,
b) vitro auctam partem marginalem,
c) centies auctum globulum seminalem,
d) totidem aucta sporidia.

## VII.

*Tubercularia vulgaris.* Pers.

Tenues fungillos, qui huc referendi visi sunt, in cortice collocatos deprehendi cum fungo, quem tertio numero insignivi.

## VIII.

*Stereum rubiginosum* Link?

Synon. Thelephora rubiginosa Pers.? Icon. *Sowerby* t. 26 (Auricularia ferruginea.)

Specimina differunt ab icone Sowerbyana magnitudine minore, vix quatuor lineas excedente, et pilei superioris nitore sericeo. Ex his vero characteribus novam speciem condere non ausim.

Habitavit in arboris ignotae cortice muscoso.

Adnotatio.

Auricularia ferruginea *Bulliard* t. 378, quam Persoon ad Thel. rubiginosam laudat, aut specie, aut aetate diversa esse videtur a forma, quam *Sowerby* depinxit. Inquirant hoc, quibus fungorum illorum copia est. Cum Persoon non adlegaverit ad suam speciem iconem Sowerbyanam, suspicor, et ipsi rem dubiam fuisse. Ex hac causa signa interrogationis a me addita sunt.

IX.

*Agaricus* (Apus) *coriaceus* Pers.?

Corpora, quae huc refero, senilia et destructa, differunt ab Ag. coriaceo habitu fere infundibuliformi, quem coalescendo nacti sunt.

Habitarunt in trunco putrido.

X.

*Agaricus* (Apus) *copulatus* n. sp. Tab. XVIII. Fig. V.

A. A. gregarius, subimbricatus, pileo subcoriaceo hirsutulo fusco-pallido, basibus angustis tomento tenui copulatis, lamellis confertis irregularibus intensius coloratis.

*Descriptio.*

Ex fibris brevibus dilute fuscis, tomentum late effusum tenue efficientibus, emergunt globuli concolores, qui in pileolos abeunt. Pileus tenuis, subcoriaceus, qualis Ag. styptico Pers., hoc minor, basi angustus, sectorem circuli deformem refert, supra brevissimo tomento hirsutus, fusco-pallidus. Lamellae tenuissimae, confertae, rarius connexae, subcinnamomeae, irregulares, decurrentes. Thecae parvae, sporidia globosa foventes.

Habitat in truncis arborum mortuis.

Adnotatio.

*a*) Ag. copulatus medium locum tenet inter Ag. mollem *Pers.* et Ag. stypticum. Ab hoc differt defectu stipitis et substrato tomento, ab illo substrato tomento et hirsutie, nec non substantia sicciore.

*b*) Descripsi et pinxi specimina madefacta, semisiccata.

Iconum explicatio.

a) Ag. copulati forma naturalis, a parte supera visa.

b) Eadem, ab infera facie.

c) Vitro aucta pars, quae lamellarum dispositionem ante oculos ponat pileique tomentum illustret.

d) Pileus, a vertice dissectus.

e) Lamellae transversae compressa particula, centies aucta. Dimidiam delineavi, ut thecae et sporidia apparerent.

XI.


*Boletus Sector* n. sp. Tab. XVIII. Fig. VI.

B. (Apus) membranaceus, imbricatus, basi valde angustus, sectorem circuli adaequans, supra striatus, zonulis variegatus, dilute fuscus, subtus fusco-brunneus, hispidulus.

*Descriptio.*

Fungus forma insignis. Pilei fere trianguli, vix semilineam crassi. Pagina superior, tanquam a tomento arcte appresso, striata, dilute fusca et zo-

Tab. XVIII.




V. *Agaricus copulatus.* VI. *Boletus Sector.*
VII. *Nemaspora tularostoma.* VIII. *Sphaeria Eschscholzii.*

Dr. C. G. Ehrenberg. pinx. Prof. F. Guimpel. sculp.

nis obscurioribus picta est. Margo fibrosus. Basis fibroso-fungosa. Pagina inferior fusco-brunnea, fere nigrescit. Pori minimi, breves, nudis oculis vix conspicui, oblongi, irregulares, tertiam crassitiei, qua pileus est, partem sibi vindicant. Pororum parietes tenues, apiculis prominuli. Thecae parvae. Sporidia minima, globosa.

Habitat in cortice truncorum mortuorum.

*Observatio.*

Iuvenis margine crenatus est, de quo conferatur figura prima.

Adnotatio.

Haec forma Agaricis quidem convenit, Boletis nostris inaudita est. Possideo B. versicoloris nonnullas formas, ad hanc formationem adspirantes, illas vero stipitatas potius appellaverim, quoniam in parte pilei angusta poris sunt destitutae.

Icones explicatae.

a) Bol. Sector magnitudine naturali habituque; unus iuvenis, omnes a pagina superiore visi.

b) Pilei, a facie inferiore visi, non aucti.

c) Vitro aucta pars inferior.

d) Pilei particula, a vertice dissecta, ut pororum apices prominuli conspiciantur.

e) Porus unus, transverse resectus, compressus, centies auctus, cum thecis et sporidiis.

### XII.

*Boletus fomentarius* Pers.

Exile specimen, quod huc referre non dubito.

## B. Chili, (37° lat. merid.)

Februario mense advenerunt, morati sunt illic per unum mensem, fungos inde ad nos Clarissimus Vir tres detulit.

### XIII.

*Boletus* n. sp.

Huius pulchrae formae specimina tam corrupta vermibusque exesa sunt, ut haesitare aliquis posset, sitne Boletus coram, an Agaricus?

### XIV.

*Nemaspora? tularostoma* n. sp. Tab. XVIII. Fig. VII.

N. hypophylla, ostiolo tumido fusco, primum medio candido clauso demum aperto, margine interno candido, sporidiis candidis demum sine lege reiectis.

*Descriptio.*

Pseudoperidium formatur ex substantia foliorum, nisi versus ostiolum non immutata; ubi vero substantia folii intumescit, simul colore fusco tingitur. Epidermis candida, sicca ostiolum claudit, donec ab egrediente semine disrumpitur. Hinc color medius candidus, qui non ab initio statim est, sed tum demum accedit, quando ostioli margines sese retrahunt mediumque foramen concedunt. In statu maturo sicca epidermis, tanquam tympani membrana extensa, rumpitur locumque cedit foramini rotundo, aut oblongo, quod extus fuscum, intus candidum, tumidum vero servat marginem. Dissecto a vertice pseudoperidio, apparent semina, parietibus adglutinata, quae interdum tanquam in membranulam confluxa vidi. Sporidia subglobosa, massam albam grumosam formant, sine lege progredientem.

Habitat in Myrtorum vivis foliis, nec non Lardizabalarum, semper paginam inferiorem occupans. In omnibus fere Myrtorum speciebus, quas plurimas collegit Am. *Chamisso*, fungillum offendi.

Adnotatio.

A primo intuitu corpuscula pro insectorum incunabulis facile quis habeat, structura vero interna ea ad fungos amandat. *) Quod Nemasporis addiderim fungum, non incusandum esse puto, nisi quod ad semina, quae naturae siccioris sunt. Cum vero eadem aliquoties in membranulam conglutinata viderim, diversitatis aliquid statui sicco defendendum tribui. Praeterea secutus sum eam rationem, quam in *Sylvis mycol. Berol.* de Nemasporis exposui.

Explicatio iconum.

a) N. tularostoma magnitudine naturali.
b) Pars folii, lente aucta.
c) Pseudoperidia, a vertice dissecta, eadem aucta.
d) Sporidia, centies aucta.

## XV.

*Dematium?*

In cortice quodam parasitatur tomentum crassum, atrum, densissimum, supra tanquam crusta tenuissima rimosa nitida obtectum. Corpus, aptius forte ad Lichenes relegandum, hypothallum aliquem sterilem refert. Noto Licheni cui tribuerem, nescivi. Natura tomenti fungosa est, habitus lichenosus, structura ambigua.

---

*) Si quis mihi vel monstret insectula, in illis habitaculis enata, non ego desistere possem, qui illa corpora tunc etiam ad fungos ducerem. Sporidia, quae vidi, fungorum sunt. Coniicerem equidem, post emissa insecta fungum in illis habitaculis (?) parasitari coepisse.

C. Insula Lusonia (14 $^1/_2$° lat. sept.)

In hac Philippinarum frequentatissima sede legerunt Cell. Peregrinatores, hiemis nostri tempore, admodum bellum fungum, Sphaeriis addicendum.

XVI.

*Sphaeria Eschscholzii* n. sp. Tab. XVIII. Fig. VIII.

Sph. (Pulvinaria, peripherica) maxima, hemisphaerica, rutilanti-nigra, (an cuprea?), rigida, persistens, superficie laevi dura, margine revoluta, intus fasciis semicircularibus fibrosis concentricis variata, sphaerulis cylindrico-obconicis.

*Descriptio.*

Coram est, quod doleo, unicum vetustum specimen.

Stroma semiglobosum, nigrum, aut, quod ex colore hic illic residuo coniicere debemus, olim cupreum, medium fossa magna altaque, non perforante, instructum, ad tres pollices latum, ultra pollicem altum, subtus media parva parte ligno affixum, caeterum liberum. Margo revolutus, passim laciniis interceptus, in quibus color cupreus servatus est. Lente simplici fortius augente conspicere licet in superficie superiore puncta nigra, sphaerularum ostiola, in areolis media. Limites areolarum saepe elevati sunt, interdum rimis notati. Intus circiter viginti fasciae semicirculares, fibrosae, aliae densiores, obscuriores, aliae laxiores, dilutiores, fusco-purpurascentes, sericeum pulvinar efficiunt. Huic ubique imposita est extrema sphaerularum simplex series, non magnarum cylindrico-obconicarum. Sphaerulas, massae obscuriori, eidem fibrosae, immersas, singulas singula perithecia atra complectuntur. Sphaerulas omnes tegit, sive connectit, cortex laevis, fragilis, durus, ex massa nigra nitente confectus; hunc sphaerularum colla et ostiola perforant. Sphaerularum series interrumpitur fossa illa stromatis media, quam idem cortex vestit, quamque pro fortuita, vel ex hac causa, habere malim. Sphaerulas internas thecae vestiunt teretes, quarum formam perfectam videre mihi non contigit. Quae vidi, delineavi. Supra thecarum candidarum reliquias frequentia morantur sporidia emissa, nigra, fusum valde contractum aequantia, subpellucida, parva, quae saepe binis septis notata vidi. Id quoque animadvertendum est, quod saepissime thecis convolutis apposita viderim fila tenuissima, longissima, nivea, non septata, teretia, vel in ipsis sphaerulis, ob candorem, lente simplici conspicua. — Cfr. figuram. — Forsan sunt parasitica.

Habitat certo in truncis terrae proxima, qua in infera superficie inquinata erat.

Adnotationes.

*a*) Nomen specificum Celeb. Dr. *Eschscholzii* dedi, Chamissonis amici comitis, cui hanc laborum utilium mycologia debet memoriam.

*b*) Sphaeria concentrica *Pers.*, qualem *Sowerby* pinxit, nostrae formae proxima est; cum vero de habitu pauca, de structura ille subtiliori nihil referat, omnes notas distinguentes proponere nequivi. Differt nostra species colore cupreo et sphaerulis cylindrico-obconicis, quae illic globosae pictae sunt. Eandem sphaerularum (?) globosam formam video apud *Persoonem* Syn. meth. fung. tab. I. Specimina Todeana picta obovatam sphaerularum formam offerunt. Equidem compluries Sphaeriam concentricam Pers. prope Berolinum et prope Lipsiam legi, nunquam vero sphaerulas eius aliquas videre mihi contigit, semper legi *ἀνθρακας ἀντι του θησαυρου.*

Nonnulla mea specimina cortice aliquo tenuissimo fragili laevi obtecta sunt, sed neque in his sphaerulas detegere possum, sunt illa veri carbones vegetabiles, cingulis suis concentricis instructi. Quae iuniora videbantur specimina, vix ex cortice alnorum emersa, vel ea carbonacea fuerunt. Equidem igitur quid sentiam de Sphaeria concentrica, quod ad eius fructificationem, non habeo. Quibus vero mycologis copia eius est, suum esse putent, accuratam aliquam edere descriptionem partiumque subtiliorum delineationem. Egimus nos, ut nostra huius novae formae icon et descriptio satisfacerent ad hanc speciem penitus cognoscendam. Suspicor ob sphaerularum diversas formas, plures species ab auctoribus esse descriptas, quas, quoniam non accurate satis descriptae sunt, Persoon in unam speciem, Sphaeriam concentricam, coëgit. Formam Persoonis $\beta$, *) ob stipitis ambigui praesentiam specie segregandam esse, non censeo, censeo ob sphaerularum (deformium ?) duplicem seriem, si, quae foramina picta sunt, iure pro sphaerulis habentur. Nostra species a descriptis omnibus hac etiam graviori nota recedit, quod vetusta specimina non in pulverem carbonaceum solvuntur, sed persistunt dura atque rigida.


### Explicatio figurarum.

a) Refert Sphaeriam magnitudine naturali, a supera facie visam,
b) ab infera facie,
c) mediam, a vertice dissectam,
d) sphaerulas, lente auctas,
e) superficiei superae partem, lente auctam, ut ostiola cum areolis appareant,
f) thecas cum sporidiis (g) fibrisque, centies aucta.

---

*) Synops. meth. Fung. tab. I. f. 3, 4.

Tab. XIX.




IX. *Auricularia cornea.* X. *Sphaeria profuga.*
XI. *Sphaeria fur.* XII. *Boletus Katui.*

C. G. Ehrenberg. pinx. Prof. F. Guimpel. sculp.

D. O-Wahu (22° latit. sept.)

Ad insulas *Sandwich* appulsa est navis *Rurick* mensibus Novembre et Decembre annorum MDCCCXVI et MDCCCXVII. In insula O-Wahu legebatur:

XVII.

*Auricularia cornea* n. sp. Tab. XIX. Fig. IX.

A. socialis, magna, concava, flexuosa, pellucida, intus venosa, laevis, lacunosa, pallida, extus hirsuta, lacunosa, albida.

*Descriptio.*

Specimina maiora tres pollices excedunt longitudine, duos latitudine, unum altitudine. Sporangium concavum, flexuosum, auriforme, subgelatinosum, lineam dimidiam crassum, baseos media particula affixum, intus venosum, extus lacunosum, venis lacunisque in basi crebrioribus. Tomentum, extus impositum, constat e verrucis tenuibus cylindricis densis pellucidis obtusis. Insidet hoc fungi fibrarum contextui densiori, qui versus mediam transversi sporangii substantiam tenuior evadit et in fibras rariores breves transit. Illi exteriori fibrarum contextui intus oppositi sunt tubuli, qui paginam internam apicibus suis efficiunt (ut in Pezizis, Thelephoris, reliq.). Tubuli tenues, cylindrici, satis longi, thecarum more dispositi, secundum totam suam longitudinem connati, sporidia minima globosa pellucida in singulis seriebus continent.

Habitasse plantam, verisimile est, in trunco putrido, terra obruto.

Adnotatio.

Si liberi essent tubuli, non haberemus, cur non thecarum nomine eos appellaremus, nec cur Auricularias a Pezizis aut Thelephoris segregaremus. In ea vero structura, quae eadem est in Tremella Auricula Iudae, imprimis positus esse videtur character huius generis, quod, resuscitato Auriculariarum mortuo nomine, constituit Venerandus *Link*.

Character genericus nunc ita mihi videtur immutandus:

Sporangium subgelatinosum, concavum, (auriforme); tubuli (thecarum analoga) in sporangii superficie interna positi, recti, contigui, connati; sporidia tubulis inclusa.

Equidem, ubi reponam hocce genus, habeo meam *Tremellarum* familiam *(Sylvae mycol.)*. Ad Tremellas iam ab auctore suo positum est. Quod Phallus Phallis, quod Cyathus Pisocarpiis est, id esse videtur Auricularia Tremellis. Auricularia, Cyathus et Phallus sunt familiarum suarum summa capita, quae ad thecarum formationem adspirant.

Sicca planta cornea fit, inde depromsi nomen specificum.

Iconum explicatio.

a) Aur. cornea magnitudine naturali.

b) Centies auctum segmentum transversum, omissa media aliqua parte.

E. Radack (6° lat. sept.)

Accesserunt Viri Clariss. ad has maris pacifici insulas Ianuario et Februario anni MDCCCXVII. Legerunt fungos quinque.

XVIII.

*Sphaeria profuga* n. sp. Tab. XIX. Fig. X.

Sph. (Pulvinaria) nigra, sparsa, inaequalis, epidermide obtecta, tumidula, ostiolis nudis minimis, perithecio demum cum epidermide aufugiente.

*Descriptio.*

Stroma nigrum, griseo inspersum, tumidulum, saepe oblongum, complures sphaerulas parvas, basin non adtingentes, fovens, sub epidermide nidulans, per eandem colore obscuro conspicuum. Perithecia atra, parva, globosa, tenuia, apicibus in breve collum protracta; stomata non emergentia, ab epidermide libera, atra. Thecae magnae, albidae, paraphysibus instructae. Sporidia magna, saepe sex annulis insignia.

Habitat in cortice Pandani, illius speciei, quae in maris pacifici insulis vulgaris vagatur. Secundum Am. *Chamissonis* observationes totum Pandanorum genus recudendum est, id quod alii tempori reservatur.

*Observatio.*

Specimina matura facillime perithecia reiiciunt, sive ipsa perithecia cum epidermide supera aufugiunt et basin foraminulosam relinquunt. In hac specie foramina semper nigra sunt, in sequente vero albicant ob stromatis defectum.

Adnotatio.

Haec forma, Sphaeriae piceae Pers. proxima, magnam affinitatem habet ad Lichenum habitum; cum vero thallus omnis desit, hanc et sequentem formam necessario inter fungos referendas esse duxi.

Figurarum expositio.

a) Sph. profuga magnitudine naturali.
b) Lente aucta specimina, ut ostiola nuda conspiciantur.
c) Sphaeria, a vertice dissecta, lente aucta, ut parithecia appareant cum stromate.
d) Lente auctum specimen, ut patellae residuae cernantur.
e) Thecae cum sporidiis annulatis et paraphysibus, centies aucta.

XIX.

*Sphaeria Fur* n. sp. Tab. XIX. Fig. XI.

Sph. (simplex) sparsa, nigra, tecta, areola nigra cincta, demum ostiolo nigro albo cincto paullulum prominula, matura cum epidermide profuga, patella residua albicante.

*Descriptio.*

In epidermide corticis cernuntur maculae parvae, orbiculares, nigrae, ma-

turo fungo mediae puncto aterrimo, annulo albicante cincto, notatae, interdum confluxae, perparum elevatae. Perithecium sub epidermide latitans, ovatum, parvum, atrum, immersum, thecis repletum, maturum cum orbiculari epidermidis particula totum aufugiens, patellam albicantem relinquens. Thecae magnae, clavatae, paraphysibus subclavatis filiformibus copiosis stipatae, sporidia quatuor, aut quinque-sex-septem, annulata includentes.

Habitat cum priore in cortice Pandani.

Iconum explicatio.

a) Sph. Fur magnitudine naturali.
b) Lente aucta specimina.
c) Eadem, a vertice dissecta.
d) Thecae, paraphyses et sporidia, centies aucta.

## XX.

*Boletus Katui* n. sp. Tab. XIX. Fig. XII.

Bol. (Mesopus) infundibuliformis, membranaceus, stipitatus, rigidus, stipite subcentrali, pileo laevi nitido, supra zonato fusco rubro, subtus poris minimis laevibus subrotundis perforato pallido.

*Descriptio.*

Pileus lineae tertiam partem crassus, latitudine tres pollices excedit, margine circulari hic illic sublobatus infundibuli lati formam aequat, unum pollicem et dimidium altus. Infundibuli apicem excipit stipes brevis, pollicis quarta parte parum maior, 1 ½ lineam crassus, subcentralis aut centralis, laevis, nitidus, flavo- et fusco-variegatus, qui in basin brevem submembranaceam dilatatur. Duo stipites interdum confluxos pileos testantur. Superior pilei superficies, laevis et nitida, colorem fusco-rubrum elegantissimum offert, zonis permultis angustis obscurioribus nigrisve belle variata; margine extremo subito albicat. Superficies pilei inferior laevis, in sicco fungo subplicata, poris minimis, oculo non armato vix conspicuis, obsita est; colore tingitur ochraceo-rufescente et ob impressiones concentricas zonulas mentitur. Tubuli thecigeri fere hemisphaerici sunt, latitudine et altitudine tertiam crassitiei, qua pileus est, partem aequantes. Tubulorum ostiola (pori) suborbicularia, crassiuscula, aequam planitiem struunt. Thecae parvae, cylindricae; sporidia subglobosa, minima.

Habitat in arborum truncis.

Adnotatio.

*a*) Nomen specificum ab homine ex insula prope Radack oriundo mutuavi, cuius socios vel nostrates invidioso et iniusto nomine ferocium notare soliti sunt. *Katu* cum *Chamissone* nostro amicissimo vinculo coniunctus erat, eidemque res herbaria nonnulla commoda sua debet, ex illo itinere profecta. Vigeat igitur no-

men eius sanctum in historia naturali, sicut illo auctore peregrinatorum humanorum nomina apud insulanos cantilenis sancta celebrantur.

*b*) Haec forma accedit ad Boletum perennem *Pers.* eiusque similes.

Iconum explicatio.

a) Fungi facies superior.
b) — — inferior.
c) Pori, lente simplici aucti.
d) Tubuli, a vertice dissecti, cum pilei particula.
e) Thecae cum sporidiis.

XXI.

*Boletus sanguineus* Linn.

Allata sunt complura specimina huius splendidissimi fungi, qui Linnaeo suo non aufugit. Alia ad sex pollices lata, tres pollices longa sunt, alia minora. Quae sunt aetate provectiora, expalluerunt.

Habitat in arborum caudicibus mortuis. In quibusnam arboribus diu notus et iam saepius allatus fungus pulcherrimus nascatur, nemo retulit.

XXII.

*Scaphophorum agaricoides* mihi.

Synon. Schizophyllus alneus *Fries.*
Agaricus Pleuropus alneus *Pers.*

In insulis Radack occurrere duae formae huius ambigui fungi, quae a nostris quidem eiusdem speciei, prope *Lipsiam* lectis, speciminibus (cfr. figuras *Bulliard.* 4. 581. 1. et *Batsch.* tab. 24 fig. 126 a. b.) habitu valde differunt, quae vero ab icone *Sowerbyana* et *Bulliardiana* t. 346 vix recedunt.

Forma I. Fusco-grisea, substipitata. Numeravi plus quam viginti tria specimina, ex una eademque basi venientia, in orbem disposita. Stipites vix duas lineas longi, teretes, albido-villosi, interdum nulli. Lamellarum (?) color vulgaris. Magnitudo speciminum plurimorum pollicaris.

Forma 2. Nivea, basi angusta stipitiformi. Specimina compluria, basi connata, supra nivea, squamoso-pilosa, in lacinias plurimas divisa, *Batschii* fere figuram 126. e., nisi illic squamulae omnes deessent, referentia, apice dilatata, nonnulla versus basin valde angusta, stipitem simulantia. Haec forma a priore sola aetate provectiore differre videtur.

Habitat utraque forma in Pandani caudicibus putridis.

Adnotationes.

*a*) Schizophyllus *Fries.* inter Agaricos non commode militat, quoniam pileus prorsus deest, species vero pilei, qualis tomentum illud, valvulas connectens, est, pro pileo haberi nequit. Secundum meas observationes, quibuscum praestantissimas illas Neesianas *) bene congruere gaudeo, Scaphophorum alit the-

---

*) *System der Pilze und Schwämme.* Pag. 196. 17.

carum brevissimarum, sporidia ovata includentium, seriem, in eis binarum lamellarum lateribus positam, quae, quando singulae lamellae convolvuntur, interiora fiunt. Si nos igitur interius lamellarum latus vocamus illud, quod N. ab E. exterius appellat, conveniunt nostrae de situ thecarum sententiae. Lamellarum illud sterile latus, quod primo non conspicitur, post fissas vero lamellas in oculos cadit, sericeum est et villosum, atque cavendum est, ne quis pilos pro thecis habeat. Scaphophorum Agaricis paullo propinquius esset, certe quod ad thecarum dispositionem, si binae lamellae, quae unam simulant, essent una. Tum enim in utroque lamellae latere thecarum series inveniretur. Structura Scaphophori haec est: tubuli aperti, semicylindrici, ex una basi dichotomoramosi exeunt. Connectuntur illi tubuli a tomento brevi albido in pileorum agaricinorum formam ita, ut tubulorum apertorum unus paries cum alterius proximi tubuli pariete in lamellae formam coniungatur. Quando vero maturus fungus semina eiicit, simul siccatur et lentam mortem patitur. E siccitate contractio tubulorum proficiscitur, sicut Hysteria et Pezizae sicca tempestate discum suum claudunt. Scaphophori vero tubuli claudere suum discum (thecarum stratum) nullo alio pacto possunt, quam si parietes, a tomento in lamellae simplicis formam connexi, discedunt eoque fissae alicuius lamellae speciem prae se ferunt. Cum primum specimen aliquod, integris adhuc sic dictis lamellis instructum, transversa directione dissectum contemplarer, haec statim apparuerunt. Quod lamellae accedente humore non iterum coëunt, haec causa est, quoniam status lamellarum erectus coactus aliquis status est, a connectente tomento sustentatus; in hunc igitur, nisi coactae, non redeunt.

*b*) Perpendi cuiusnam familiae civis Scaphophorum dici posset, — inveni nullam. Coniecturam aliquam cum lectoribus communicare mihi liceat, quae non ab omni verisimilitudine destituta esse visa est. Comparare liceat formam aliquantulum cum Hysteriis (*Sylvae mycol. berol.*). Scaphophorum est Hysterium aliquod inversum; haec enim, ab initio clausa, demum aperiuntur, illud, ab initio apertum, demum clauditur. Quod ad substantiam eius, ea ab Hysteriis non aliena est. Certe Hysterium quercinum, carnoso-fibrosum illud, Scaphophoro viam aperit. Insuper in mentem revocetur Solenarium *Sprengelii*, huic formae proximum. Illud etiam perpendatur, quod Agaricorum forma ea est, quam reliquae familiae omnes ac singulae persequuntur. Conferantur denique, quae ad Tryblidium arcticum hic adnotavimus.

*c*) Schizophylli nomen ea de causa, etiamsi invitus, exclusi, quoniam lamellae illae non sunt lamellae, neque lamella aliqua singula ibi finditur, sed duo parietes, lamellam simulantes, a se recedunt. Fungus simulat Agarici pileum, simulat lamellas, simulata vero, tanquam vera, nominibus elata, facile in errores ducunt.

Scaphophorum est, quod scaphas fert, a *σκάφος* et *φόρος*.

## F. Kamtschatka. (53° latit. sept.)

Aestate anni XVII huius saeculi hic legit Clariss. *Chamisso*:

### XXIII.

*Caeoma (Vredo) interstitiale* *) n. sp. Tab. XX. Fig. XIII.

Hypophyllum in foliis Rubi arctici.

*Descriptio.*

Folia, quae infestat hoc Caeoma, caeteris, haud affectis, remanent multo minora et minus evoluta. Maculas in superiori foliorum pagina in planta sicca conspicere nequeo. Acervi, in pagina inferiore in nervorum interstitiis positi, oblongi, lineares, confluentes, fere totum interstitium occupantes, prius parum elevati, convexiusculi, epidermide tecti, quae postea, rima longitudinali irregulariter rumpens, pulverem, in siccatis luteum, liberum reddit; epidermidis vero fragmenta ad latera undulatim resistunt. Sporidia irregularia, rotundata, effoeta pellucida, saepius lineis obscuris varie intricatis impleta, parum inter se cohaerentia.

Differt ab omnibus notis speciebus acervorum forma et dispositione.

de Schl.

Iconum explicatio.

a) Vredo interstitialis magnitudine naturali.

b) Sporidia, centies aucta.

### XXIV.

*Caeoma* (Vredo) *Rosae*?

In foliis Rosae cuiusdam lectum, vix determinari potest et ad iam notam, forte illam, in Rosis occurentem, speciem pertinere videtur.

## G. Vnalaschka (54° latit. sept.)

Aestate annorum MDCCCXVI et MDCCCXVII obviam facti sunt sequentes fungi:

### XXV.

*Caeoma (Aecidium) Epilobii* Schl.

Synon. Aecidium Epilobii *de Cand.*

Aecidium pulchellum *Schrader.*

In foliis Epilobii alicuius. *de Schl.*

---

*) Caeomata haec, Hypodermia Link, mihi inquisivit, descripsit et nominibus exornavit Vir amicissimus Dr. *de Schlechtendal*, cuius horum generum Monographia ditissima mycologis erit exoptatissima.

XIII.




*Uredo interstitialis.*

XIV.




*Puccinia vesiculosa.*

XV.




*Hysterium orbiculare.*

XVI.




*H. gracile.*

XVII.




*Tryblidium arcticum.*

Dr. C. G. Ehrenberg pinx.

T. Sturm sc.

XXVI.

*Caeoma (Vredo) Pyrolae.*

Synon. Vredo Pyrolae *Mart.* Fl. mosq.
Vredo polymorpha ε. *Strauss.*
Aecidium Pyrolae *Schulz.*

Hypophyllum in foliis Pyrolae rotundifoliae?

de Schl.

XXVII.

*Puccinia vesiculosa* n. sp. Tab. XX. Fig. XIV.

Hypophylla in Anemone narcissiflora.

Primo intuitu proxima videtur Caeomati pompholygodi nostro (Vredo Ranunculacearum D. C. Vredo Anemones Pers.), at iam differt colore brunneo pulveris. In superiore folii pagina maculae adsunt rufo-fuscae, parum elevatae, in inferiore epidermis in bullam irregulariter rotundam aut ovalem, interdum duas lineas latam elevatur, quae postea, rima longitudinali irregulariter fissa, pulverem ostendit brunneum, compositum e sporidiis oblongis irregulariter utrinque obtusis dilute fuscis pellucidis hic illic massa quadam grumosa magis minusve obscuris, dissepimento medio in duo loculamenta fere aequalia divisis. Bullae sunt sparsae, solitariae.

de Schl.

Iconum explicatio.

a) Pucc. vesiculosa, magnitudine naturali; folii facies infera.
b) Eadem, a folii superiori facie visa.
c) Sporidia, centies aucta.

XXVIII.

*Eurotium herbariorum* Link.

Hoc vidi in unico folio Hellebori trifoliati, cum muscis allatum. Fortassis in Europa demum accessit, ideoque, an iure hic enumeretur, an non? in ambiguo est.

XXIX.

*Sphaeria punctiformis* Pers.

In foliis aridis Andromedae lycopodioidis hic illic puncta parva nigra conspiciuntur, quae forte ad Sphaeriam punctiformem adducenda sunt. Vidi perithecia atra, organa fructificationis non inveni. Quae specimina coram sunt, vetusta esse videntur.

Adnotatio.

Sphaeriarum minutarum cohors maxima eget oculorum attentione. Non enim quaevis macula nigra Sphaeriis adnumerari debet, utut hucusque saepissime factum est, cum plurimarum parvarum Sphaeriarum structuram ne verbo quidem attigerint auctores. Si de Sphaeria punctiformi *Pers.* loquor, non ego illas maculas intelligo, quas v. c. *Albertini* et *Schweiniz* ex diversis plantis illic

detulerunt. *Persoonem* sequor, dico punctula nigra, in foliis quercinis aridis fere omnibus apud nos millena obvia, nudis oculis vix conspicua, quae tum vero statim distincta cernuntur, quando foliorum perspicuitatem aliquis experiri volet. Tam parva corpora, nisi advocato microscopio composito et sine partium internarum accurata et laboriosa inquisitione, distingui non possunt. Fulcrum illud, quod ex loco natali petitur, memoriae subvenit, scientiae nocet. Tales characteres in diagnosibus hamulis includendi sunt. Hanc offero Sphaeriae punctiformis diagnosin accuratiorem:

Sph. simplex (epiphylla), punctiformis, minima, peritheciis atris sparsis tumidulis collabescendo umbilicatis epidermide tectis immersis per epidermidem colore atro conspicuis, thecis clavatis maiusculis crassiusculis, sporidia multa minima subglobosa ordine nullo includentibus.

Ab hac forma bene distingui potest cum *Friesio* Sphaeria Hederae multo magis ob internas notas, quam ob notulas externas. Differt: thecis subcylindricis longiusculis angustioribus, sporidiis subovatis maiusculis in simplicem seriem positis. Nequaquam igitur cum *Friderico Nees* Sphaeria Hederae β Ilicis ad *Friesii* Sphaeriam adduci potest. Nam Sphaeria Ilicis sporidia annulata cylindrica gerit.

## XXX.

### *Hysterium orbiculare* n. sp. Tab. XX. Fig. XV.

H. (epiphyllum) tectum, cum epidermide arcte connatum, minimum, pallidum, per fuscum nigricans, subelevatum, orbiculare, rima et apertura diametris.

*Descriptio.*

Perithecium tenue, epidermide tectum, subconvexum, orbiculare, cum epidermide arcte connatum, primo pallidum, mox fuscum, demum nigricans. Antequam maturum dehiscit, depressum planum subimpressum est, post ortam rimam elevatur hemisphaericum. Rima diametra in vetustis speciminibus late hiat. Apertura externa perithecii ab interna nunquam diversa est. (Status iuvenilis in foliis morientibus cognoscitur patella impressa?). Organa fructificationis, nisi in iuvenilibus adhuc clausis speciminibus, non deprehenduntur. Thecae, sine paraphysibus, a sporidiis pellucidissimis globosis minimis interdum annulatae.

Habitat in foliis Andromedae lycopodioidis aridis.

Adnotatio.

Species Hysterio sphaerioidi *Albert.* et *Schw.* proxima, cuius specimina ad *Berolinum* in suis locis sat copiosa legi. Quod adnotarunt sollertissimi viri de perithecio duplici, et ego vidi; formatur illud eo modo, quod epidermis folii interdum a fungi perithecio, quocum non arcte coniuncta est, recedit. Idem ille

fungus a me trilobus visus est, Phacidiis proximus. — In figura, quam pinxerunt illi Viri, rima non diametra est, quod ego nunquam vidi. Verum illud proprium est huic fungillo, quod semper perithecii interna apertura externa minor est et interdum subrotunda evadit, Sphaeriam simulans.

Ad hasce Hysteriorum formas pertinet etiam Hysterium rhomboides mihi (Hypoderma xylomoides δ aucupariae *de Cand.*).

Tria Hysteria orbicularia structura interna a se non differre videntur, unius forsan speciei diversae formae.

Iconum explicatio.

a) Hysterium orbiculare magnitudine naturali.
b) Lente auctum.
c) A vertice dissectum.
 *) iuvenile.
d) Thecae et sporidia, centies aucta.

### XXXI.

*Hysterium gracile* n. sp. Tab. XX. Fig. XVI.

H. (epiphyllum) minus, tenue, nigrum, gracile, rectum aut subflexuosum, epidermidem impositam dissimulans.

*Descriptio.*

Perithecium tectum, cum epidermide arcte connatum, nigram lineolam referens, subelevatum, demum hians. Plurima specimina recta vidimus, unum subflexuosum. Iuniora plana sunt et includunt thecas longiusculas cylindricas pellucidissimas. Sporidia distincta, certo ob statum iuvenilem thecarum, non vidi. Dissecui (nam plurium non copia fuit) unum iuvenile specimen. Quae rimas apertas gerunt, thecas iam emiserunt.

Habitat cum praecedente specie in foliis Andromedae lycopodioidis, illa rarior.

Iconum explicatio.

a) Hysterium gracile, non auctum.
b) Lente auctum.
c) A vertice dissectum.
 *) iuvenile.
d) Thecae, centies auctae.

## H. Insula Sancti Laurentii *Asiae* (55⁰ Lat. Sept.) et Sinus Sancti Laurentii. (65⁰ Lat. Sept.)

Aestate huc appulsis obvia facta est Andromeda tetragona, quae duas fungorum formas alit:

XXXII.

*Sphaeria Hederae Fries.*

Synon. Sphaeria punctiformis β Hederae *Pers.*

Habitat in foliis Andromedae tetragonae.

Praeter locum natalem neque ex organis fructificationis aliquam notulam distinguentem eruere potui. De Sphaeria Hederae conferantur, quae ad formam XXIX[nam] adnotavi.

XXXIII.

*Tryblidium arcticum* n. sp. Tab. XX. Fig. XVII.

T. emergens, minimum, nigrum, suborbiculare; perithecium in lacinias tres obtusas abiens, demum trigonum, disco albido.

*Descriptio.*

Perithecium nigrum, liberum, ex epidermide caulis prorumpens, primo clausum, oblongum, glabrum, dein suborbiculare et subhemisphaericum, subpedicellatum, granulosum. Maturum, tribus laciniis obtusis dehiscendo formam trigonam acquirit. Discus griseo-albidus. Dissectum perithecium offert epidermidem nigram rigidam et massam internam sordide albicantem grumosam. Massae perithecii internae imposita est thecarum series. Thecae maiusculae, subclavatae, apicibus obtusae, polysporae. Thecis additae sunt paraphyses cylindricae, filiformes; thecis inclusa sunt sporidia minima, subglobosa, pellucida.

Habitat in caulibus Andromedae tetragonae.

*Adnotationes.*

*a*) Genus Tryblidium, a *Rebentisch* (Index) olim propositum, servandum esse videtur Amico Dr. *Kunze*, idemque promisit, de eo verba se facturum. *) Cum, sintne illa nuperrimo tempore iam typis expressa, nec ne, ignotum mihi esset, neque Amici litterae afferrentur, mihi vero, novam speciem addere conanti, de illo genere ratio reddenda esset, ipse me accingere debui ad aliquem de eo sermonem. — Tryblidii caliciformis sat magna copia est prope *Berolinum* in cortice rimoso quercuum non admodum grandaevarum, ibique inprimis frequens mihi occurrit *im Thiergarten in der Allee vom Hofjäger nach Bellevue.* Medium locum hoc genus tenet inter Hysteria et Phacidia. Affinium generum characteres ante oculos ponam lectoribus, ut, penes quos est iudicium de hac re, facilius unum alterumve aut praecipitare aut suscipere possint. Qui vero rem diiudicabunt, necessario ad Sphaerias et Pezizas **) respicere debent, ab Hysteriis non toto coelo discretas.

---

*) Mycologische Hefte von *Kunze* und *Schmidt.* I. p. 103.

**) Qui Hysterium quercinum pro Peziza habuerit, nequaquam erraverit. Porro huc spectat Peziza Hysterium *Pers.* et alia.

## *Hysteria.*

Placuntium, Solenarium, Hysterium, Antennaria? Tryblidium, Phacidium.

Perithecium clausum, thecarum aut ascorum stratum, superficiei interiori impositum, fovens, demum rimis apertum, sporidia thecasve eiaculans.

A.

| *Hysterium.* | *Tryblidium.* | *Phacidium.* |
|---|---|---|
| | Perithecium simplex, | |
| sessile, *) | substipitatum, | sessile, |
| | dehiscit: | |
| rima una longitudinali, i. e. duabus rimis, contraria directione ex uno centro prodeuntibus. | rimis tribus aut pluribus, e communi centro hiantibus. | rimis tribus pluribusve, ex eodem centro actis. |
| | Perithecii substantia | |
| simplex, unicolor. | duplex **), bicolor. | simplex, unicolor ***). |

B.

| *Placuntium.* | *Solenarium.* | *Scaphophorum.* |
|---|---|---|
| | Perithecium compositum. | |
| | Perithecia | |
| depressa, effusa, tenuia, confluxa, | cylindrica, ramosa, radicata, affixa, | cylindrica, ramosa, libera, surgentia, rimis longit. ramosis rectis aequalib. aperta, clauduntur. |
| | aperiuntur | |
| rimis laceris sine lege decussatis flexuosis. | rimis ramosis longitudinalibus rectis aequalibus. | |
| | Hypothallus | |
| nullus. | fibrosus, ramosus, repens. | tomentosus, cum peritheciis assurgens. |

*b*) Antennariam pro suspecto genere habemus, ideoque exclusimus. Perithecia videre nobis non contigit. Qui characteres ei tribuuntur, locum postulant prope Hysterium.

Placuntii nostri character ita definiendus est:

*Perithecium* tenue, effusum, depressum, placentaeforme, clau-

*) Hysterium mytilinum (substipitatum) non aperitur more Hysteriorum, sed ad Lophia (Sphaerias) pertinet.

**) Etsi perithecii substantia duplex dicatur, perithecium duplex dici non debet.

***) Cum Neesiana figura 299 †* meae in Hysterio valvato (Phacidio Pini) factae observationes non conveniunt. Ibi enim perithecii substantia triplex picta est, quam simplicem semper vidi. Melius quadrat fig. 103 †, quae ad Hysterium mytilinum pertinet.

sum, demum rimis pluribus laceris sine lege decussatis flexuosis dehiscens. *Thecae*, — *paraphyses*, — *sporidia.*

Scaphophorum definiatnr his verbis:

*Perithecium* molle, liberum, surgens, cylindricum, ramosum, statim ab initio (scapharum forma) longitudinaliter apertum. *Hypothallus* genitor sub forma tomenti perithecia extus concomitans et conglutinans. *Thecae* et *sporidia.* *Perithecium* demum convolutum, clausum.

Scaphophorum Hysteriis valde propinquum est, attamen ob contrarios characteres a familia Hysteriorum segregandum esse videtur. Ab Agaricis toto coelo diversum est. Nisi propriam familiam condere quis velit *Scaphophororum*, eo fere iure posset hoc genus interea coniungi cum Hysteriis (Solenario), quo olim Linneus probabile esse duxit, Phaëtona aethereum coniungi cum demerso Aptenodyte Catarracte. Syst. Nat. XII. — Conferatur XXII.

c) Tryblidium caliciforme, quod etiam *Lipsiae* olim legimus (*auf dem Binitz*), differt a nostra, hic allata, specie notis sequentibus:

Tr. impositum, rugoso-verrucosum, laciniis saepius pluribus apertum, disco griseo-nigro, thecis magnis raris oligosporis, paraphysibus copiosis, sporidiis maximis ovatis.

Iustius scribi visum est *Tryblidium* pro Triblidium ob τρύβλιον (vasculum), a qua voce illa forma deducta videtur.

Iconum explicatio.

a) Tryblidium arcticum magnitudine naturali.
b) Lente auctum specimen iuvenile.
c) — — — maturum.
d) A vertice dissectum, fortius auctum.
e) Thecae, paraphyses, sporidia, centies aucta.

I. Insula Chamissonis. (66° Lat. Sept.)

Aestate lecta est:

XXXIV.

*Sphaeria herbarum* Pers.

In Dianthi alicuius caulibus aridis.

K. Insula Teneriffa (29° Lat. Sept.)

Auctumno nostro ibi obviam fuit:

XXXV.

*Caeoma (Aecidium) Asperifolii.*

Synon. Aecidium Asperifolii Auct.

In planta quadam ex familia Asperifoliarum.

de Schl.

Haec sunt, quae nos allata vidimus. Hortamur vero viros, peregrinationibus de botanice merentibus, eosque his ipsis pagellis invitatos esse cupimus, ut ne negligant fungorum bellos cohortes, quos, ubiubi Flora suos hortos pandit, nusquam absentes esse, hos habeant testes. Atque profecto erit aliquando dies, quo tenues illae formae praedicabuntur Coryphaei ad interiora intranda naturae sacra penetralia.

Futuro usui destinatos, praeter rerum vulgarem indicem duos addimus indices; alter ad Systema fungorum spectat, alter ante oculos ponit, quasnam formas triginta ad triginta gradus geographici contribuerint. In hoc ultimo indice nominum turbato ordine id simul efficere voluimus, ut statim constet, quas formas dederit hemisphaera meridionalis, quas hemisphaera septentrionalis obtulerit. Hic finis opellae.

I.

Vredo interstitialis n. sp.
— Pyrolae.
— Rosae.
Aecidium Asperifolii.
— Epilobii.
Nemaspora? tularostoma n. sp.
Puccinia vesiculosa n. sp.
Campsotrichum unicolor n. sp.
Hypochnus nigrocinctus n. sp.
— — rubrocinctus n. sp.
Dematium?
Tubercularia vulgaris.
Stereum rubiginosum.
Eurotium herbariorum.
Auricularia cornea n. sp.
Thamnomyces Chamissonis n. g.
Sphaeria Eschscholzii n. sp.
— Fur n. sp.
Sphaeria Hederae.
— herbarum.
— profuga n. sp.
— punctiformis.
— — ?
— — ?
Hysterium gracile n. sp.
— orbiculare n. sp.
Tryblidium arcticum n. sp.
Scaphophorum agaricoides.
Boletus fomentarius.
— Katui n. sp.
— sanguineus.
— Sector n. sp.
— — ?
Agaricus copulatus n. sp.
— coriaceus.

II.

| Latitudo geographica. | Hemisphaera septentrionalis. | Hemisphaera meridionalis. |
|---|---|---|
| 0—30° | Aecidium Asperifolii. | |
| | | Campsotrichum unicolor n. sp. |
| | | Hypochnus rubrocinctus n. sp. |
| | | — — nigrocinctus n. sp. |
| | | Tubercularia vulgaris. |
| | | Stereum rubiginosum. |
| | Auricularia cornea n. sp. | |
| | Scaphophorum agaricoides. | |
| | | Thamnomyces Chamissonis n. g. |

| | Hemisph. septentr. | Hemisph. meridional. |
|---|---|---|
| | Sphaeria profuga n. sp. | |
| | — Fur n. sp. | |
| | — Eschscholzii n. sp. | |
| | | — ? |
| | | — ? |
| | Boletus Katui n. sp. | |
| | — sanguineus. | |
| | — — | — fomentarius. |
| | — — | — Sector. |
| | | Agaricus copulatus n. sp. |
| | | — coriaceus. |
| | (. . . . . . . . .) | (. . . . . . . . .) |
| 50—60° | Aecidium Epilobii. | |
| | Vredo Rosae. | |
| | Pyrolae. | |
| | interstitialis n. sp. | |
| | | Nemaspora? tularostoma n. sp. |
| | Puccinia vesiculosa n. sp. | |
| | | Dematium? |
| | Eurotium herbariorum. | |
| | Sphaeria punctiformis. | |
| | Hysterium gracile n. sp. | |
| | — orbiculare n. sp. | |
| | | Boletus — ? n. sp. |
| | (. . . . . . . . .) | (. . . . . . . . .) |
| 60—90° | Sphaeria herbarum. | |
| | — Hederae. | |
| | Tryblidium arcticum. | |

## *Index rerum.*

# GENUS CYMBARIA

## REVISUM ET EMENDATUM

A

D. F. L. DE SCHLECHTENDAL.

Cum tabula aenea.

Quum tantopere auctores inter se dissentiant in descriptione generis *Cymbariae*, necessarium duxi, me iterum id examini subiicere, describere, iconibusque illustrare. Doleo autem, me nil nisi sicca specimina, tamen tam rarae plantae sat multa, vidisse; at ex descriptionibus autoptarum Messerschmidii et I. G. Gmelini, sicut ex manuscriptis Pallasii, in herbario Willdenowiano asservatis, quae in sicca planta observare haud potui, adieci. Novam insuper addidi speciem, quae nec novum genus formare, neque alio iniungi potest, sed evidenter ad hoc pertinet genus.

*Cymbaria.*

SYST. ARTIF. *Didynamia Angiospermia* Lin.

SYST. NATUR. *Personatae* Lin. — *Scrophulariae* Iuss. — *Scrophularinae* Br.

*Cymbaria* Messerschmid et cet. auctt.

*Fructificatio.*

Calyx persistens, membranaceus, campanulatus, costatus, quinquefidus, laciniis linearibus erectis, interiectis interdum laciniis minoribus. Corolla monopetala, ringens; tubus oblongus, superne ventricosus; limbus bilabiatus, labio superiore integro naviculari aut bipartito reflexo, inferiore magis minusve profunde trilobo, palato gibbo, fauce pervia. Stamina quatuor, ad basin tubi inserta; filamenta duo longiora fere longitudine labii superioris, duo minora tubo breviora; antherae sagittatae, obtusae, cernuae. Germen ovatum; stylus filiformis, apice incurvus, longitudine corollae; stigma obtusum, subcapitatum. Capsula ovata, bilocularis, bivalvis; spermophorus in medio dissepimento longitudinaliter affixus, prius recta procedens, dein fissus in duas membranas, quae in utraque latere versus dissepimentum curvantur. Semina parvula, angulosa, laevia.

*Vegetatio.*

Herbae perennes, fere subfruticosae, villoso-canae, parvae. Radices sublignosae. Caules teretes, erecti. Folia opposita, linearia, lanceolata, acuminata, integerrima. Flores fere sessiles, axillares, lutei. Calyx basi foliolis duobus suffultus.

*Habitus.*

Hucusque duo solummodo sunt notae species, *Sibiriae* indigenae.

Observatio. Genus, quoad florem Antirrhino, quoad capsulam Dodartiae affine, ab utraque autem valde recedens ceterarum partium structura. Ambae species conveniunt loco natali, habitu et omnium partium structura, nec differunt, nisi labii superioris forma.

1. *Cymbaria* davurica Messerschmid.

C. calycibus quinquepartitis interiectis laciniis brevioribus, florum in medio caule sessilium labio superiore bipartito reflexo.

Cymbaria davurica Lin. Mant. 417., Lin. Sp. pl. ed. R. 3 p. 141., id. ed. W. 3 p. 262, Encycl. bot. 2 p. 233, Pers. Syn. 2. p. 159, Gmel. Fl. sib. 3 p. 198 n. 8, Georgi iter 1 p. 223, Pallas iter 3 p. 255, 318, 425 etc.

Cymbaria daurica pumila, incana, linariae folio magno flore luteo guttato Amm. ruth. p. 35 n. 47.

*Icones:* Amman. l. c. tab. 1. f. 2. (satis rudis).

Enc. bot. 2 pl. 530. (haud bona).

Habitat in apricis montosis herbidis siccioribus glareosisque *Davuriae.* (Messerschmid, I. G. Gmelin, Georgi, Pallas). ♃.

*Descriptio.*

Planta interdum fere semipedalis, quamplurimum minor, tota villis dense intertextis adpressis incana. Radix sublignosa, perennis, perpendicularis, multiceps, superne ad collum squamis fuscis brevibus ovato-subrotundis obtusis imbricatis cincta. Caules plures, 4-6 pollices alti, saepe minores, recti, teretes, parum ramosi, foliosi. Folia opposita, sessilia, lanceolata, acuminata; ex eorum axillis prodeunt ramuli saepe oppositi, steriles, cauli simillimi. Flores in medio caule subsessiles, axillares, plerumque oppositi, sat magni. Calyx campanulatus, parum ventricosus, membranaceus, 10-12 costatus, superne usque ad medium fissus in quinque lacinias valde acuminatas, inter quas saepe alternatim sunt positae aliae dimidio minores, subulato-lineares, quae vero saepius hic illic desunt, costa tamen, iis respondente, nunquam deficiente; rarius adsunt sex laciniae maiores totidemque minores. Calyx basi duobus est suffultus foliis, quae I. G. Gmelinus ad calycem pertinentia credidit, quae vero, foliis caulinis plane aequalia, sunt vera folia. Corolla fere triplo calyce maior, extus reliquis partibus plantae minus villosa, ringens, bilabiata; tubus superne ventricosus; labium superius fornicatum, bipartitum, partitionibus rotundatis reflexis; labium inferius tripartitum, partitionibus rotundatis obtusis, medio maiore, omnibus deflexis; palatum gibbum; faux aperta; tota corolla pulchre flava, intus grato rubore guttata. Stamina quatuor, basi tubi corollae inserta, duo maiora ad posteriorem corollae parietem sita, minora ad anteriorem; filamenta filiformia, basi parum dilatata; sub loco insertionis eorum tubus tomentulo obductus; antherae didymae, cernuae, oblongae, infra in acumen abeuntes, aetate iuniori in apice obtuso fasci-

culo pilorum brevium ornatae. Germen ovatum, striatum; stylus longissimus, parum exsertus, filiformis, apice incurvato curvaturam labii superioris subsequente; stigma subrotundo-capitatum, obtusum. Fructus, calyce persistente circumdatus, est capsula ovata, bilocularis, bivalvis, parum sulcata, loculamentis sulco profundiori distinctis; spermophorus, in medio dissepimento longitudinaliter situs, fungosus, albus, prius recta procedit, dein in duas finditur alas membranosas, versus parietem sui lateris parum involutas. Semina singulari singulis alis ordine perpendiculari affixa, parvula, irregulariter angulosa, laevia, subfusca.

Odor florum admodum debilis, (gratum dicit Gmelinus), foliorum ad sensum nullus. Sapor in herbaceo subamaricans (Messerschmid).

Alteram huius generis speciem, primum a *Boebero* detectam, attulit Pallasius, habitu et structura omnium partium cum praecedente convenientem, labio vero corollae superiore secedentem, qua ex ratione novum exstruam genus, necesse haud credo. Nomen, illi a Pallasio iam datum, remaneat.

2. *Cymbaria* borysthenica Pallas.

C. calycibus quinquepartitis, florum ad basin caulis sessilium labio superiori integro naviculari recto.

Habitat frequens ad *Kamenaja balka* prope oppidulum *Beristaf* et in saxeo-calcareis ad pluvialem rivum Burgunt inter Borysthenem et Hypanim fluvios. Floret Aprili, Maio. ♃.

*Descriptio.*

Planta vix tres pollices alta, plerumque minor, tota tomento dense intertexto canescenti-alba. Radix sublignosa, perennis, prius parum oblique descendens, dein horizontaliter sub terra repens, hinc inde fibris radicans, laevis, fusca, multiceps, supra ad collum squamis fuscis ovatis obtusis imbricatis dense tecta. Caules plures ex eadem radice, breves, teretes, simplices, ad basin floriferi, foliosi, 1 ½ – 2 pollices longi. Folia opposita, lineari-lanceolata, acuminata. Flores subsessiles, ad basin caulium oppositi, axillares, magni. Calyx campanulatus, striatus, 8–10 lineas longus, supra in lacinias quinque lineares acuminatas longitudine dimidii calycis fissus, basi suffultus foliolis duobus oppositis, caulinis aequalibus. Corolla ringens, bilabiata, calyce duplo maior, subtomentosa, pallide flava, deflorata albens; tubus superne parum ventricosus; labium superius rectum, naviculare, integrum, inferius superans; labium inferius subtrilobum, parum extrorsum flexum; palatum gibbum, intus flavissimum; faux aperta. Stamina quatuor, iis praecedentis speciei similia, minora eodemque modo inserta. Germen ovatum, striatum; stylus filiformis, superne curvatus, parum exsertus; stigma subrotundum, subcapitatum. Fructum maturum non vidi, sed germen, dissectum, eandem nobis ostendit structuram, quam in praecedente descripsimus. Semina ignota.

## Explicatio iconum Tabulae XXI.

I. Fig. 1. Cymbaria davurica.
— 2. Corolla cum calyce et foliolis fulcientibus.
— 3. Calyx dissectus.
— 4. Pistillum statu iuniori.
— 5. Idem statu provectiori.
— 6. Anthera, a latere visa.
— 7. Anthera, a parte anteriori visa.

II. Fig. 1. Cymbaria borysthenica.
— 2. Flos (corolla et calyx) cum foliolis fulcientibus.
— 3. Calyx, dissectus.
— 4. Pistillum.
— 5. Anthera.
— 6. Germen, dissectum et auctum.


1.
3
2
Cymbaria davurica Messerschmid
5.
4.
7.
6
1.
2
Cymbaria borysthenica Pallas
6.
3.
4
5.

C. Müller sc.

# PLANTARUM CANARIENSIUM

A

SMITHIO IN ITINERE SUO DETECTARUM

## SPECIES QUATUOR NOVÆ

DESCRIPTIONIBUS ICONIBUS ET ADNOTATIONIBUS L. A BUCH
DE LOCIS EARUM NATALIBUS ILLUSTRATAE.

EDIDIT

DR. NEES AB ESENBECK.

Cum Tabulis V. aeneis.



J. Gumpel ad nat. del.

C. Müller sc.

*Galium hirsutum*

*Galium hirsutum.*

G. foliis quaternis subrotundo-ovatis brevissime cuspidatis trinerviis cauleque hirsutis, fructibus lappaceis.

*Descriptio.*

Caules pedales circiter, ascendentes, tetragoni, articulati, albis pilis hirsuti, ramosi, ramis alternis. Genicula tumida, inferiora magis approximata. Folia quaterna, inaequalia, patentia, in petiolum brevissimum contracta, subrotundo-ovata, apice in brevem cuspidem obtusam desinentia, margine plana, integerrima, undique albo-hirsuta, trinervia. Pedunculi axillares, filiformes, patentes, albo-hirsuti, cymoso-trichotomi vel dichotomi, pauciflori, bracteis primariis quaternis, secundariis oppositis spathulatis. Pedicelli 2-3flori, bracteis 2 minutis ovatis valde hirsutis ad divisuram. Flores campanulati, albi (?), limbo patente, laciniis ovatis acutis dorso longe ciliatis. Stamina limbo breviora, antheris globosis fuscis. Fructus parvus, setis uncinatis confertissimis patentissimis albis obtectus. N. ab E.

Habitat in sylvis castanearum, versus septentrionem et orientem ab *Orotava* in *Teneriffa* Insula sitis. Altitudo regionis, quam inhabitat, pedum 3000.

L. a. B.

Tabula XXII.

Galium hirsutum magnitudine naturali cum flore et seta germinis uncinata, magnitudine auctis.

*Rhamnus coriaceus* Herb. Willdenow.

Rh. inermis, floribus hermaphroditis racemosis axillaribus trigynis, foliis oblongis integerrimis glabris coriaceis.

*Descriptio.*

Frutex 2-3-pedalis, cortice rugoso cinereo vestitus, ramosissimus, ramis patentibus inferne foliorum lapsu nudis apice novello cano-pubescentibus. Folia conferta, alterna, petiolata, unc. 2-3 longa, 1/2-2/3 unc. lata, oblonga, basi apiceque acuta, nervo in mucronulam exeunte, margine integerrima et subrevoluta, coriacea, sempervirentia, supra laete viridia, subtus flavo-virescentia et venoso-reticulata. Petioli tereti-compressi, supra sulcati, cano-pubescentes.

Flores e foliorum superiorum axillis et terminales, racemosi. Pedunculus communis petiolo plerumque longior, erectus, angulatus, pubescenti-tomentosus, flexuosus, 4-5florus, ad singuli pedicelli insertionem in fulcrum semipateraeforme intumescens. Bracteae nullae. Pedicelli breves, calycis longitudine, crassiusculi, stricti, glabri. Calyx campanulatus, profunde 5-fidus, glaber, flavescens, laciniis ovato-acuminatis erectis coriaceis. Petala nulla. Stamina 5, laciniis calycis opposita, germine breviora, filamentis subulatis, antheris erectis sagittatis pallidis longitudine filamentorum. Germen hemisphaericum, obsolete trilobum, triloculare. Styli 3. Stigmata globosa. Fructus: bacca magnitudine Pisi, globosa, trilocularis, loculis monospermis. N. ab E.

Habitat in *Teneriffa* Insula, vallum vestiens snmmi crateris montis *Pic* meridiem versus, qua iter ducit *Chasnam*, in altitudine pedum 6400 supra maris planitiem, neque ex ista regione in eas, quae sunt inferiores, descendit. Promiscuae crescunt cum hoc tum *Cineraria palmensis* Smith, iam a nobis describenda, tum Arabis alpina Lin., Cheiranthi etiam aliqua species atque Pimpinellae, quarum fragmenta tantum vidimus.

Floribus onustum reperimus fruticem mense Augusti, unde florescentiae tempus a Iulio mense incipere crediderim.

*Observatio.*

Tres Rhamni generis species in insulis Canariis ad superiora ascendentem variis altitudinibus excipiunt memoratu dignae.

1) *Rhamnus glandulosus* Sm., arbor satis alta, sylvas plerasque, diurnis nebulis vaporibusque obrutas, in regionibus inferioribus montium, pedum 2800–4000 altitudine supra mare elevatis, occupat, non solum *Teneriffae* insulae, sed etiam *Maderae* aliarumque forte incola. Florentem primum invenimus die 22. Augusti.

2) *Rhamnus crenulatus* hunc, a pedum 5700 altitudine supra mare ascendendo, insequitur, — fruticulus elegans, humilis, vix tripedalis, in regione calidissima montium Prenanthis pinnatae, Lavandulae abrotanoidis, Conyzae canariensis, Cacaliae Kleiniae, Rumicis Lunariae, Euphorbiae canariensis aliarumque socius, a nemine adhuc descriptus.

Inter omnes, quas perlustravimus, insulas Canarias, sola *Teneriffa* alit hunc fruticem, quem prope *Orotavam*, *Rio Lejo* et *Chinamam* meridiem versus reperimus.

3) *Rhamnus coriaceus* denique, de quo supra sermonem fecimus, summum cacumen attingit et montis, *Pic* dicti, extinctum craterem corona viridi ambit in altitudine pedum 6400.

L. a B.

Tabula XXIII.

Rhamni coriacei
ramuli floriferi et fructiferi magnitudine naturali,
flores et fructus dissectus, lente aucti.



*Rhamnus coriaceus.*

### *Cineraria palmensis.*

Synon. Senecio palmensis L. a Buch.

C. fruticosa, glabra, foliis cuneiformibus apice inciso-serratis, floribus corymbosis.

*Descriptio.*

Frutex ramis diffusis recurvis striato-sulcatis glabris. Folia alterna, lanceolata, basi elongata cuneiformi in petiolum attenuata, glabra, utrinque concolora, subcoriacea, obsolete trinervia, apicem versus profunde serrato-incisa, dentibus utrinque 3–4 lanceolato-falcatis integerrimis acutis inaequalibus; suprema folia linearia, subintegerrima, vel serratura hinc inde parva acuta praedita.

Florum corymbus terminalis, e complurimis paniculis axillaribus fastigiatis multifloris compositus. Pedunculus communis striatus, nudus, bracteis lanceolatis integerrimis ad divisuras. Pedicelli filiformes, bracteis minutis subulatis appressis praediti; extrema bractea flori contigua est, quo calyx quasi calyculatus apparet.

Flos compositus radiatus. — Calyx communis cylindricus, pentaphyllus, aequalis, foliolis lanceolatis obtusis brunneis margine membranaceo-albicante undique cinctis. Flosculi radii foeminei 2–3, distantes, patuli, calyce breviores; ligula lanceolata, obtusa apiceque inaequaliter lacero-tridentata, lutea, nervis tribus saturatioribus notata. Stylus filiformis, tubo inclusus; stigma bifidum, exsertum, revolutum. — Flosculi disci 3–5, tubulosi, limbo quinquefido, laciniis lanceolatis revolutis. Antherae connatae, longitudine limbi; stigma bifidum, antheris paullo longius. Fructus: achenium conicum, compresso-angulatum, setulis sursum appressis brevibus scabrum, griseum. Pappus, tam radii seminum, quam disci, adnatus, sessilis, multisetus, longitudine flosculorum disci, setis strictis scabris. N. ab E.

Habitat in sola regione occidentali insulae *Palmae* in rupibus, a quibus *Baranco de las angostias* circumvallatur, sub vico *Argual.* Regionis illius incolae plantae nomen dederunt *Turgayte.*

Floribus abundans obvia facta est mensis Septembris die XXIIItio in valle angusta usque ad magnam *Caldeca*, ad duo igitur millia pedum supra planitiem maris. Haec altitudo nondum aequat eam, quam sylvae occupant, neque imam calidamque regionem multum superare videtur.

*Observatio.*

Species haec, inter Seneciones et Cinerarias maxime ambigua, illis habitu magis, his autem flore accedit, ut difficile dictu sit, utri eorum, an sit neutri adiudicanda?

Tabula XXIV.

Cinerariae palmensis ramus magnitudine naturali.

Eiusdem flos et flosculi, magnitudine naturali et aucta.

*Centaurea arguta.* Tab. XXV et XXVI.

C. fruticosa, calycibus inermibus glabris, squamis ovatis obtusis apice sphacelatis et incisis, foliis lanceolatis argute serratis.

Synon. Centaurea Teydis L. a Buch: *über die Flora auf den canarischen Inseln* in Act. Academiae Berolinensis.

*Descriptio.*

Caulis lignosus, ramosus, cortice fusco-striato. Rami basin versus nudi foliorumque emortuorum adnata basi tuberculosi, apice densissime foliosi. Folia sparsa, conferta, erecta, anguste lanceolata, acuta, ob basin attenuatam subpetiolata ibidemque integerrima, a medio autem margine argute-confertim-serrata, serraturis parvis inaequalibus patulis, coriacea, avenia, laete viridia. Pedunculi in ramis terminales, uniflori, solitarii, longissimi, subangulati, sulcati, sub flore incrassati et evidentius sulcati, foliosi, foliis appressis, inferioribus magis confertis lineari-lanceolatis subserratis, superioribus remotioribus linearibus integerrimis, extremo florem attingente. — Calyx magnitudine nucis moschatae, ovatus, e squamis dense imbricatis exstructus, laevis, glaber. Squamae ovatae, obtusae, stramineae, enerves, laeves, marginibus apiceque membranaceo-expallidis apiceque inciso-crenulato; interiores, seu inferiores, aliquot ordinum conicae, truncatae, vix apice scariosae; interiores elongatae, multoque angustiores, quam reliquae, totae fere scariosae, truncatae, flosculos arcte constringentes. Flos compositus aequalis, ochroleucus, flosculis omnibus hermaphroditis basi elongatis tubulosis filiformibus, ore dilatato, laciniis angustis linearibus. Tubus antherarum longitudine laciniarum corollae, cylindricus parumque incurvus, apice 5fidus, albicans. Stylus filiformis, antheris duplo longior, luteus; stigma indivisum. Achenium compressum, laeve, fuscum. Pappus simplex, sessilis, pilosus, scaber, albidus, tubo brevior, deciduus. Receptaculum setosum.

N. ab E.

Habitat in rupibus, quae, veluti ingens Circus, conum montis *Pic* cingunt, ibique prima vice lecta est die XXX^mo^ mensis Maii anni CIƆIƆCCCXV. Crevit vero supra vallem, quae a pumice nomen habet, et incolis *Angostura* audit, non procul a via ab *Orotava* versus *Chasnam*, sex millia et quadringentos pedes supra mare, cum *Rhamno coriaceo* Sm. et Scrophularia glabrata. Tum folia quidem aderant, flores vero, nisi qui ante hunc annum viguerunt, nulli. Ex vetustis tamen illis floribus, plantam esse aliquam Centauream, facile coniiciebatur. Die XXIII^tio^ mensis Augusti plantae flores explicaverant, ideoque, cum serius floreat, non est, cur dubitemus, hanc etiam nostrum posse perferre Iovem.

L. a B.

Tab. XXV. Planta turionibus iuvenilibus.
— XXVI. Eadem florida.



C. Müller sc.

F. Guimpel ad nat. del.

*Centaurea arguta*



C. Müller sc.

ad nat. del.

*Centaurea arguta*

DE

# COENOGONIO

## NOVO LICHENUM GENERE

EX

PENU VIRI CLARISSIMI CHAMISSONIS DESUMTO

DISSERIT

DR. C. G. EHRENBERG.

Cum tabula aenea picta.

Inter alias Lichenum novas formas, quas in Am. Chamissonis plantarum collectione reperimus, unam offendimus, de qua verba facere nunc cordi est. Sunt enim quaedam formae corporum, quae, quando inveniuntur, prae aliis naturae studiosis arrideant et quae tanquam operarum pretia habeantur. Non multum lucri scientiis ex una alteraque detecta nova plantarum forma prodire potest, in eo vero aliquid lucri positum esse nobis videtur, si qua talis, vel una, forma affertur, quae tanquam in novam aliquam speculam nos rapit, ex qua, quae antea vidimus, paullulum relinquere aut inverso modo conspicere invitamur. Quamquam veritatis amans negare nemo potest, optime consultum esse Lichenibus, id tamen valde dolendum est, quod speciebus rite distinguendis multo feliciori successu incubuerint viri docti, quam condendis familiis ordinibusque. Duplex esse videtur huius aetatis in Lichenibus desiderium, alterum, quod microscopiorum compositorum usus nondum in illis maximi habitus sit, alterum vero illud est, quod anima quaedam desideretur, qua addita, vigeant Lichenes ferantque flores fructuum futurorum certissimos nuntios. — In historia naturali res eadem est, quae apud pictores et scalptores. Qui Italus pictor, suum ingentem sequens genium, naturae argutas minutias vilipendit, non ex omni parte laudem, neque gratiam sibi meretur, qui vero Batavus vir persequitur naturam formasque, torquet

« non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo; »

neque is, quaqua fuerit arte et assiduitate, cordatorum virorum laudem in suas partes contrahet. Attamen si quis Scyllam et Charybdin temperavit *Rubens* aut *van Dyk*, is aeterna sincera laude dignum opus conficit.

Et vero scalptor aliquis fingat corporis subtiles omnes musculos, nisi addiderit animam, non Daedali, non Phidiae statuam scalpserit, non aevis gratum opus exegerit. Quae forma vaticano Apollini! quis habitus! quis vigor est! Hunc iuvenem natura suum agnoscit, obviam tibi faciet nusquam. Materiem natura ministrat, cum manu mentem animumque nos adhibere debemus,

ut, — ceu iuvenem scalptor, — totam naturam cum aliquo iustae *) poëseos iusto addidamento ipsa concinniorem effingamus.

Hanc huius aevi, meam factam, aut meam sententiam ex bona parte excipias, Benevole Lector, me vero, si qua infirmam futilemque studiorum meorum quantulorumcunque hanc straverim basin, meliora humaniter edoceas erranti-que subvenias. Favente Deo hanc opellam amplior altera sequetur.

*Coenogonium* n. G.

*Character naturalis.*

Apothecium orbiculatum, subimmarginatum, substipitatum, disco colorato demum convexo; parenchyma fibroso-carnosum; fructificationis partes: thecae in tota superficie apothecii dense stipatae (sporidiis repletae).

Thallus e meris fibris laxe intricatis filiformibus teretiusculis ramosis pellucidis contextus, planus, telam referens, liber.

*Coenogonium* Linkii n. sp.

*Descriptio.*

Thallus, telam referens, planus, liber, glauco-virescens, margine uno aut particula aliqua affixus, suborbicularis aut semiorbicularis, interdum confluens, conficitur e meris fibris pellucidis parce ramosis rigidulis laxe complexis subfasciculatis, ita ut versus marginem retis instar evadat. Fibrae, apice obtusae, cavae sunt, pellucidae, intus tanquam plicis tenuissimis notatae; massam aliquam includere non videntur. Marginem fibrarum apices fibrosum reddunt. Thallus saepe sterilis occurrere videtur, ubi vero fructum formare contendit, coëunt fibrae in fasciculos densiores seseque coniungendo exsudare videntur materiam futuri apothecii (cfr. fig. f.). Apothecium crescere incipit sub forma punctuli albidi subvillosi; id medium mox carnosum et carneum cernitur. Formam altius crescentis apothecii hemisphaericam aliquoties vidi; tunc superior eius pars dilatatur in scutellum parvum submarginatum suborbiculare, eoque fit, ut inferior apothecii pars, quae non simul dilatatur, pedicelli formam acquirat et dignitatem. Discus coloratus, aurantio-carneus, convexus, margo valde tenuis aut nullus. Dissectum apothecium intus albicat, tegmine colorato cinctum. Substantiam scutelli carnoso-fibrosam deprehendi, a pedicelli substantia non diversam. Scutello imposita est thecarum parvarum subcylindricarum densa series. Thecis inclusa cernuntur pellucidissima sporidia subovata.

Habitat in *Brasiliae* Insula *Sancta Catharina* in arborum cortice, nec non, uti videtur, in plantarum caulibus aridis.

---

*) Qui, dimissa fictione omni, sincerus, quae dispersa latent et minuta, vera cuncta mente animoque percipere eaque cum mente animoque in unam iustam formam componere studet, is illam, de qua loquimur, poësin exercet, nam *ποιεῖ οὐ μιμεῖται.*

*Adnotationes.*

*a*) Sterilem huius plantulae hypothallum, qui tactui vesparum fere habitaculum refert, iam diu, ex eadem terra allatum, incerta sede servaverat Vir Ill. Link, idemque eum benevole mecum communicaverat. Tum et ego, quo illud corpus referrem, plane nescii, ad Fungorum enim cohortes non prope accedebat et a Lichenum natura plane abhorrere videbatur. Reduce amicissimo Chamissone, lustratis eius thesauris, incidi et in hancce mihi bene notam et male notatam plantulam; haec vero madefacta et explicata specimina mox obtulerunt, laetissimum augurium! patellas.

*b*) Cum prima ambiguae formae specimina servaverit Ill. Link, nomine eius illam speciem ornare decrevi.

*c*) Procul a nostra forma distat proxima Lecidea (Crocynia) gossypina Achar., quam ego non novi.

*Epicrisis.*

Huius plantae apothecia sunt discoidea Idiothalamorum Acharii ideoque Lecidearum apotheciis proxima. Verum hypothallus etiam sua iura sibi vindicat et is a Lecidearum natura admodum alienus est. Quomodo differant Lecidearum apothecia ab apotheciis *Coenogonii*, nunc exponemus.

Facili opera de apotheciorum utrorumque validissimo quodam discrimine verba facerem, si Acharii, alias meritissimi, vestigia premerem recentiorumque, quod sciam, omnium Lecidearum diagnosin probare vellem et possem. Secundum Lichenologos nostros Lecideae insignes sunt apotheciis strato gongylorum aut sporarum medio interno instructis. Contra Coenogonii apothecia thecarum stratum, sibi extus impositum, gerunt. Attamen, quod ad meas observationes, Lecideae, aut omnes, aut plurimae (icmadophila, parasema, cechumena, petraea, aliae) thecas distinctissimas alunt. Querendae vero sunt thecae in illa apothecii interni parte, quam Acharius «stratum superius subgelatinosum» vocat. Gelatina enim illa tota quanta conficitur ex thecis pellucidissimis, sporidiis repletis. Eiusdem valoris est stratum superius gelatinosum in Gyrophoris, Opegraphis, aliis. Linea atra, aut obscura, quae thecas extrema ambire videtur, fit ex thecarum apicibus coloratis; id quod ex Pezizis aliisque similibus formis facilius patet.

*Coenogonii* apothecia a Lecidearum apotheciis differunt margine vix ullo, qui distinctus semper in Lecideis iunioribus exstat; deinde, quod illa substipitata sunt, haec semper sessilia inveniuntur. Etiamsi haec notulae, ubi apud Lichenes occurrunt, a Lichenologis pro gravioribus habeantur, equidem plus ponderis inesse crediderim in hypothalli natura valde singulari, nam

---

*) Lichenogr. univers. p. 32. alibi.

fibrae rigidulae, complexae, sub thalli unius forma unanimi degentes, in telam planam liberam sese promovent.

Acutissimo Viro, Nees ab Esenbeck, affinitas aliqua huius hypothalli et Alectoriarum hypothalli arrisit et profecto, quis eam negaret? Discrimen inter illos vix aliud exstat, quam quod huius lora non complexa, illius fibrae complexae sunt, et quod haec medullam quasi includunt fibroso-cellulosam, a qua illae prorsus destitutae inveniuntur. Equidem et hanc ob causam aliquem ad Alectorias respectum suaderem, ut singulare aliquod discrimen perciperetur, quod inter hos duos formationis gradus intercedit, quod ad fructus procreandi modum. Alectoriae quidem lora singula fructus agunt; Coenogonii vero fibrae in fasciculos coëunt feruntque communem fructum. Talis fibrarum singularum coitus ad promovendum fructum Lichenibus hucusque alienus fuit. *)

---

*) Ille coitus fibrarum, quem in hac forma me observasse retuli, iam prius in fungillis et fungis a me inventus est, idemque fungis fere solemnis esse videtur. Fibrarum, quae fungis suppositae inveniuntur, dignitas iam a pluribus acutissimis viris cognita est, neque Lancisio eiusque coaetaneis, mira multa de fungis confabulantibus, haec ignota fuit. Attamen praeter hoc, quod ex fibris emergantur fungi, nil curarunt. Mihi iam per aliquod tempus curae fuit, inquirere, quomodo ex fibris fungi prodeant, neque frustra rem inquisivi. In aliis pagellis observationes meas fusius exponam. Quod inde lucratus sum, nunc tradam brevi sermone.

Serendo et observando Mucorum semina expertus sum, ea non cotyledones, neque singulas singula, neque binas, neque plures alere, neque findi omnino, sed integra elongari crescendo ita, ut, rotunda prius, aut ovata, mox oblonga evadant et in fibram filiformem abeant. Idem locum habere apud Agaricos aliosque permultos fungos, verisimile est. Tales fibrae, ex elongato semine ortae, (Agaricorum, Lycoperdorum, Clavariarum, Thelephorarum, cet., quae forma et colore parum, dignitate vero multum a se invicem recedunt) serpunt, ramulos agunt et, lucis expertes, longe lateque utplurimum orbes plumosos efficiunt, quos Byssos vocarunt Auctores et Himantias. Aliae ligna putrida humumve tota pererrant. Hae, forte omnes, quando lucem sentiunt, sexualem aliquem actum inire videntur. Coëunt enim in fasciculos (Himantia funicularis Pers.) et, ubi sat valido lucis stimulo utuntur, exsudant, coniunctae, ex lateribus (amplificatis?) aliquam massam aut gelatinosam aut carnosam. Ita ex coitu multarum fibrarum, ex diversis seminibus enatarum, fit primum vestigium unius fungi. Illud rapide nutritur ab aëre et a fibris genitricibus, ac pro coitus illius fructu habendum est. Imo verisimile est, ex multitudine illarum fibrarum, quae coniugium inierunt, pendere fungi futuri magnitudinem. Quae fructum ederunt fibrae, crescere non desinunt, sed ramos agunt et latius serpunt locumque aptum quaerunt, quo alteram prolem emittant. Cavendum est igitur, ne quis putet, fungum radiculas agere. In his enim plane aliae sunt rationes, quam apud plantas, phanerogamas dictas. Desunt radices, desunt folia et caules; matrix adest. Filius vero matrem promovere et augere nequit. Haec hactenus.

Ex defectu reliquarum partium, plantis propriarum, conclusit olim Persoon, fructus esse fungos; ex formationis eorum ratione nos idem probaturos esse speramus.

Coëunt: Coenogonium, Fungi plurimi, Coniugatae. Apertus et singularis coitus est in *Syzygite*, fungorum forma, cuius descriptionem in proximo fasciculo Scriptorum Societatis amicorum naturae studiosorum Berolinensium typis exprimendam tradidimus.

Tab. XXVII.




*Coenogonium Linkii.*

Dr. C. G. Ehrenberg pinx.

I. Sturm sc.

Proinde hanc addo tabulam comparativam:

| *Lecidea.* | *Coenogonium.* | *Alectoria.* |
| --- | --- | --- |
| | Hypothallus | |
| effusus, vesiculosus et vesiculoso-stuppeus. | filiformis, ramosus, in telam complexus, pellucidus. | filiformis, ramosus, liber, intus fibroso-cellulosus, extus cartilagineus. |
| | Apothecia | |
| idiothalama, marginata, sessilia. | idiothalama, subimmarginata, substipitata. | homothalama, marginata, sessilia. |
| Thecae superae. | Thecae superae. | Thecae superae. |

Explicatio iconum Tabulae XXVII.

a) *Coenogonium* Linkii magnitudine naturali.
b) Aucta pars marginalis cum apothecio.
c) Dissectum a vertice apothecium, magnitudine auctum.
d) Thecae et sporidia, centies aucta.
e) Fibrae, centies auctae.
f) Coitus fibrarum ad fructum formandum.

BONNAE,
TYPIS FLORIANI KUPFERBERGIANIS.

# INDEX

## RERUM ET NOMINUM.

Nota. Ne indicem indice auxisse dicamur, Plantarum, a Cl. Ottone p. 27—39 recensitarum, nomina, nisi quae adversariis vel synonymis gravioribus l. c. illustrarentur, omisimus.

Quae fusius in opere tractantur, litteris disiunctis impressa sunt.

## EMENDANDA.

In Ottonis nostri Recensu plantarum rariorum, quae in horto Regio Berolinensi a mense Ianuario ad ultimum Maium Anni 1819 floruere, sphalmata quaedam occurrunt vel calami vel auctorum, quorum fide recepta sunt; ea vero hoc modo corrigi amicus iussit.

Pag. 29. Polypodio decurrenti H. Angl. adde Todea africana Sw.
— 32. Erica Pelisseriana pone E. Petiveriana Andr.
— 33. Calendula incurva est C. amplexifolia.
— 35. Goodia latifolia lege G. lotifolia.
— 36. Malachra viminea Fisch. lege Sida viminea.

## ERRATA.

In Indice Commentationum, quae in hoc opere continentur, Smidtii nomen (Nr. X.) e « Smithio » restituendum est.

Pag. 6 Lin. 19 Linkia pone Linckia.
Ibid. — « Linkius « Linckius.
— — 20 Linkiae « Linckiae.
— 41 Nota Pridiolo « Peridiolo.